CL.

GALENI PER-GAMENI DE MORBO-RVM ET SYMPTOMATVM differentijs & causis libri Sex,

Gulielmo Copo Basileiēsi interprete, accurata cum vetustis codicibus collatione quàmplurimis in locis diligentius quàm vnquam antehac castigati.

Præfixa sunt singulis capitibus argumenta, quibus eorũ quæ tradũtur, methodus indicatur: accessit & index copiosissimus.

IN VIRTVTE




ET FORTVNA.

LVGDVNI,

Apud Gulielmum Rouillium,

1560



TYPOGRAPHVS LECTORI S.



AMVS in lucem hos sex Galeni libros cura nostra multò quàm antehac emendatius excusos. Nã quæ omiserat, aut non satis expresserat exemplari mendoso vsus interpres, vir alioqui Græcæ linguæ peritissimus, ea suo loco nos inserẽda curauimus ad Græci codicis veritatem restituta, partim ex annotationibus Augustini Ricci Lucensis medici doctissimi, partim aliorum doctorum medicorum iudicio, vt Græcarum literarũ rudes, aut Græcorum librorum inopia laborãtes, verã Galeni mentẽ assequi possent. Quæ tamẽ vel ambigua erant, vel momenti nõ admodũ magni, ad margines anno-

tata reliquimus, vt ſuo quiſque arbitrio vteretur. Ad hæc præfixa ſunt ſingulis capitibus argumenta, quibus nõ ſolùm methodus, ſed etiam veluti baſes quædã tractatiõis futuræ cõtinentur. His omnibus ſperamus medicinæ ſtudioſis iuuenibus non parũ vtilitatis allatũ iri, nosq́; apud eos magnã gratiã inituros. Quare ſi, quæ nos iuuãdi ſtudio fecimus, grato animo ſuſcipi viderimus, dabimus operam, ne poſthac vlli hac in parte noſtra deſit induſtria.

Vale.

*






CL. GALENI DE MORBORVM DIFFERENTIIS LIBER PRIMVS,



GVLIELMO COPO INTERPRETE.

Vt clarior sit sibiq́; consentiẽs tota tractatio Gal. veterum philosophorũ methodum secutus censet primum definitione explicandam morbi naturã, vt ex qua essentiales differentiæ ducãtur: deinde eius species diuisione quærendas esse. CAP. I.



Qvo dilucidius intelligantur ea, quæ in hoc opere explicare decreuimus, protinus ab initio quid sit morbus definiendum est: deinde quòd in vniuersum sint primi simplicesque morbi, qui reliquorum veluti elementa quædam statuuntur: postremo eos qui ex his componuntur aggrediemur.

Essentiam morbi diuisione inuestigaturus auspicatur à notione omniũ animis impressa, ex qua primũ sanitatis, quæ morbo & natura & præstãtia prior est, deinde cõtrariorũ natura quadã morbi definitionem colligit: inde obiter morborũ simplicium indicato numero, ordine persequitur differẽtias, prius ex varia philosoporum sentẽtia distinguens, in quo genere sanitas & morbus consistãt. Nã varij varia senserunt, reiectis tamen aliorũ opinionibus, sanitatem constituit in symmetria quatuor qualitatum & quatuor humorum, morbum verò in horum ametria.

CAP. II.

INcipiẽdum autem videtur ab eo principio quod nemo nõ probat, nẽpe quod quiuis homo sanũ se esse arbitratur, quũ partium corporis adminiculo munijs ad vitam necessariis citra noxam fungi potest: at partem quæ munus suum obire nequit, ægrotam esse putat. Quibus sic iactis fundamentis, in altera duarum rerũ sanitas quærenda erit, aut in actionibus naturalibus, aut in constitutione instrumentorum quibus actio perficitur: vnde colligitur morum esse vel actionis, vel constitutionis vitium. Verùm quum quis vel dormit, vel in vmbra & ocio degit, vel dis

discumbit, accidit interdũ vt nulla ipsius corporis pars moueatur, neq; vlla res externa sensus ipsius afficiat, ipsum tamen sanum esse nemo negauerit, vnde patet sanitatem non ab actione, sed à potentia potius esse definiendam, atqui agendi facultas à naturali constitutione depẽdet atq; in hac sanitas consistit, quæ constitutio actionis respectu, causæ rationem obtinet. Proinde siue omnium corporis partium naturalem constitutionem, siue actionis causam sanitatem appellaueris, eadẽ erit vtrobique sermonis ratio. Quòd si hęc sanitas est: eius contrariũ erit morbus, nempe vel constitutio præter naturam, vel vitiatæ functionis causa. At manifestum est quòd si affectum * non naturalem dixeris, eadem erit significatio, & nomine vsus fueris antiquo. Igitur si quot modis corpora à naturali habitu recedant, naturalesque actiones perficere nequeant, inueneris, simplicium morborum numerũ, in vniuersum deprehendes. Adducamus itaque hoc quoque in loco solidum principium, quod apud omnes homines in cõfesso est: nempe id quod naturale est, moderatum esse: †quod verò à naturali habitu recedit, immoderatũ. Proinde sanitas symmetria quædam erit: morbus verò à

*Παρὰ φύσιν. *id est præter naturam.*

†*Additur in græco.* οὐκ ἐν ζώῳ μόνον, ἀλλὰ καὶ ἐν φυτῷ καὶ σπέρματι, καὶ ὀργάνῳ παντί *id est non in animali solũ, verum etiã in planta, & semine & omni instrumento.*

iusto modo declinatio, sed quibus rebus à modo recedentibus morbus nascatur, posthac differemus. Iam manifestum est, in eisdem rebus, quum à iusto modo recedunt, morbum consistere: in quibus, quum modũ seruant, sanitas cõstituitur. Proinde si meatuũ symmetria sanitas est, eorũdẽ à iusto modo declinatio morbus erit: Si verò calidi & frigidi & humidi & sicci temperies, sanitas est: ipsius contrarium morbum esse necesse est. Haud aliter si in alio quopiam genere sanitas consistit, in eodem, si à modo deflectat, morbus erit. Cæterùm efficaciori ratione rem hanc contemplemur. Si detur corpus quàm simplicissimum atque vnum, ipsum neque intendit, neque minui poterit, neque in hoc genere alterum altero melius deteriúsve inuenietur. At verò quia ex compluribus constitutum est, plurimi in ipso compositionis modi, alii aliis meliores, peiorésve conspiciuntur: atque hinc colligitur, vt eadem composita, interim meliorem, interim deteriorem sortiantur conditionem: Et id quod optimè constitutum sit, inter illa quæ ad eiusmodi genus spectant, optimum quoque euadat: vnde patet animantium corpora (vt aiunt) maioris minorisque rationem suscipere, quippe tan-

ta inuenitur in ipsis varietas, vt alia optimo sint habitu: alia simpliciter quidem bono, sed non optimo: quædam quamuis sint sana, bono tamen habitu priuata sunt: ita quædam sunt parum firma, quædam etiamnum ægrotant. Ac horum ægrotatio interim leuis est, interim periculum minatur, idque nonnunquam vehemens, nonnunquam mediocre. Neque enim omnia corpora, siue sana sint, siue ægra æqualiter affici credendum est. vnde patet animantis corpus non esse vnũ, quemadmodum Epicuri atomus, aut Asclepiadis incompacta corpuscula: quam ob rem compositum erit. Quòd si ex atomis aut ex huiusmodi incompactis corpusculis quæ pati non possunt, constaret, compositionis duntaxat qualitate, maioris minorisque rationem susciperet: veluti domus quæ ex lapidibus, qui nihil patiantur constructa sit, eorum tamen inepta sit compositio. Quòd si lapides ipsi quomodolibet patiãtur, tum domus hæc multiformes habebit in maioris, minorísve susceptione modos. Igitur quum elementa nostrorum corporum à primo ortu ac suapte natura, & pati & alterari possint: non solum in compositione, & partium confirmatione, verùm etiam per se

tota, maioris minorisque rationem suscipient. Proinde tot morborum generibus, ijsque primis ac simplicibus, & veluti reliquorum elementis, infestabuntur quot fuerint ea, quæ compositionem ipsam perficiunt: verùm quod per hæc verba (per se tota alterari) intelligimus, id elementis impatibilibus nequaquam accidere potest, quippe fieri non potest vt insectile corpus (Græci ἄτομον vocant) quicquam patiatur, quamuis ipsius seu compositionem, seu conformationem pati posse, nō sit alienum.

Constare animalium corpora ex partibus similaribus, instrumētarijs, atque ambarum apta ad actionem vnione, item partes organicas ex similaribus, has verò ex primis elementis constitui.

CAP. III.

ATqui corpus animantis trifariam componitur, siue conformatur. In primis ex ijs partibus quæ similares appellantur, vt sunt arteriæ, venæ, nerui, ossa, cartilagines, ligamenta, membranæ, carnes. Deinde ex instrumentis, nempe cerebro, corde, pulmone, iocinore, ventre, liene, oculis, & renibus. Tertius compositionis modus ad totum corpus pertinet. Porrò singula instrumenta ex alijs, quę sensus

iud i

iudicio ſimplicia videntur, ſunt conſtituta: hæc verò ex primis conſtant elementis. Igitur caro, quatenus caro eſt, à primis elementis obtinet ſuæ compoſitionis differentias: At quatenus inſtrumenti cuiuſpiam pars eſt, pro ſui tum figmento, tum magnitudine, efficit, vt inſtrumẽtum quoque & figmenti & magnitudinis varias differentias ſortiatur.

Perſequitur morborum differentias primũ ex ſentẽtia Epicuri & Aſclepiadis, deinde eaſdem in partibus ſimilaribus & organicis ex ſententia Hippoc. qui ponit elementa in mixtis per ſe tota miſceri, & mutari, poſtremo partium organicarum diſcrimen addit.

CAP. IIII.

PRincipio itaque prioris ſectæ placita tractantes, quot numero morbi, & quales ſunt inquiramus: deinde ad eam ſectam redituri, quæ corpora per totam ſubſtantiam alterari & transmutari fatetur. Sunt autem morborũ prima genera duo: vnũ patẽtibus latè meatibus, alterũ quũ claudũtur. Qui enim elemẽta impatibilia ſtatuerint, ij in ſola cõpoſitione pathemata inuenient. Atqui cõpoſitionis differentiæ† omnes iam dictæ ſunt: igitur neceſſe eſt quãlibet ſimilariũ partiũ rectè valere, ſi

† *In anti. legitur nõ πάσης, ſed μόνης. id eſt. compoſitionis ſola.*

meatuum symmetriam seruauerit: hac enim corrupta, à naturali habitu deflectit. Symmetria duabus discriminatur differẽtijs, nempe excessu & defectu: vnde colligitur, simpliciũ partiũ primos morbos duob' cõstare generib': altero quo patẽt meatus, altero quo claudũtur. Itaq; si vel ossiũ aliquot, vel caro, vel reliquorum corporum quæ sensus iudicio simplicia esse videntur, aliqua adeò fuerint vel astricta vel rara, vt à mediocritate aberrent, ea malè affecta esse pronunciabimus. Quum verò inter vtrunque excessum medium obtinẽt, tunc vt ad functiones sunt accõmodatissima ita optima valetudine frui dicentur. Atqui exiguæ vtrinque ab exacta symmetria declinationes, haud quaquam morborum nomine censentur, donec functioni cuipiam noxam, quæ sensu percipiatur, inferant. Sed in his non parua maioris minorisque ratio habenda est. Quippe ametria, id est, à iusto modo declinatio, quæ morbi nomine censeri queat, magno distat interuallo ab ea, quæ ad vnguẽ salubris est, symmetria: atque in hoc spacio consistunt sanorum differentiæ. At in eo quod ipsum sequitur, quod ad eam ametriam quæ sensu percipi potest, pertinet, morbi collocantur, donec adeò à iusto

mod

modo fuerit aberratū, vt particulæ ſequatur corruptio. Neque enim animantium corpora quomodolibet vel aſtringi, vel laxari ſuapte natura poſſunt, habent enim in hac re terminum, vltra quem progredi citra diſſolutionē corruptionemque nequeant. Atque hæc eſt eorum, qui elementa nihil poſſe pati arbitrantur, ſententia. Qui verò ipſa pati, & in ſe inuicem efficere, & tota cū totis miſceri, attemperariq; autumant, ij neceſſariò tot morbos eſſe fatebuntur, quot fuerint prima elemēta. Age igitur quatuor ſint prima elemēta, calidum, frigidum, ſiccum, humidum: quibus inter ſe inuicem temperatis, ſanū euadet animās, ſi moderatè miſceātur, ægrotū verò ſi immoderatè. Ac quatuor etiam erunt primi morbi. Vnus quidem calor à naturali ſymmetria deflectens, alter frigiditas, terti' humiditas, quartus ſiccitas. Itaque ſecundum alterius ſectæ hypotheſim, hi ſunt in vniuerſum morbi eorum corporum, quæ & ſimilaria vocātur, & omnino videntur eſſe ſimplicia: morbos verò compoſitorum in nobis inſtrumentorum, vtriuſque ſectæ authores habēt cōmunes. Percurramus igitur & hos paucis, ſi prius oſtēderimus quomodo ſint communes. Etenim quum omne corpus ſenſus iudi-

cio

iudicio compositum (Græci ἀνομοιομερὲς id est dissimilare vocãt) quo probè munere suo fungi possit, non ex quibuslibet, & vt sors tulit, particulis, neque simpliciter ex indecente numero vel Magnitudine constitui, neque etiam pro fortunæ arbitrio compositionis modum habere debeat, colligitur in his quatuor generibus, omnium instrumentorum morbos contineri. Differentiæ verò per singula genera hoc modo accipiuntur: primum, quod diximus, genus est, quũ decens particulæ forma corrumpitur, aut figura, aut concauitas male quadrat, aut etiam meatus, aut horum aliquod quod adesse debebat, deperditum est. Ad hoc genus pertinent asperitas quoque & læuitas, quando non aptè inuicem inter se commutantur. In altero genere, quod simplicium primarumq́ue particularum numero continetur, duplex erit morborum differentia: aut enim deest aliquid, quod adesse oportebat, aut abundat quippiam quod non erat necessarium. In tertio genere, quod ad magnitudinem spectat, itidem duplex inuenitur differentia: quippe si ad nimiam magnitudinem attollatur id quod minus esse decebat, aut ediuerso extenuetur, quod maiori mole opor

tebat esse præditum, vniuersum instrumentum non rectè se habere dicemus. Per reliquum morborum genus differentiæ à compositione nascuntur: aut enim positus à naturali habitu euariat, aut partes inter sese non bene consentiunt. Porrò quemadmodum primorum instrumentorum singula ex simplicibus corporibus vel rectam vel vitiatam compositionem sortiuntur, atque ex ipsis vt vel sana sint, vel ægra, obtinent: ita ex his ipsis primis instrumentis rursus secunda coalescunt. Etenim ex primorum instrumentorum numero sunt musculus, vena, arteria. †Sed digitus secundi est ordinis, at digito magis pes, atque hoc multò magis crus. Nam in vniuersum quæcunque ex similaribus coagmẽtatis vnius functionis gratia creata sunt, in primo instrumentorum ordine numerãtur: quæ verò rursus ex his componuntur, tametsi quàm maximè vni totius instrumenti functioni deputata sunt, ad secundum ordinẽ reducuntur: ijdẽ tamen sunt tum horum, tum primorum instrumẽtorum, quos diximus, morbi. Verùm de instrumentorum differentia, in alio libro disputauimus, nempe quæ adamussim prima

Additur in antiq. ἐξ ὧν πρώτων τὰ δεύτερα συνίσανται, id est ex quibus primis secunda constituuntur.

ma ſint, moxque ab his ſecundo, & tertio, & quarto ordine ſint collocanda: quippe ſunt aliqua quæ ambiguas vtrinque habent notas, vt videantur tum ad primum, tum ad ſecundum ordinem pertinere: atqui in præſentia non opus eſt tam exquiſito ſermone, hoc vnum conſideres velim, ſimplex ne ſit particula, quatenus ſenſus iudicat, an compoſita. Nam ſimplici, accidere ſolent morbi, quos diximus ex primorum elementorum differentia diſtingui: compoſito verò reliqui qui vtriq; hypotheſi ſunt communes. † Nullum tamen morbi genus eſt, neq; in ſimplicibus, neq; in compoſitis, quod ſit vtriſq; propriũ: id enim haud quaquam fieri poſſe, ex diuidendi methodo oſtenditur. At verò ✱ vnus eſt morbus omnibus corporibus tum ſimplicibus, tum compoſitis communis, ſiue ea ex primo, ſiue ex ſecundo, ſiue etiam tertio fuerint inſtrumentorum ordine: atque de ipſo iamiã diſſeremus. Methodus itaq; qua huiuſmodi morbus inueniatur, in hoc verſari videtur, ſit ne quippiã præ-

† Hæc aduerſantur his quæ ſupra Gal. oſtendit. Interpres autem lapſus eſt ob Græc. cod. corruptos: omnes enim quos vidimus, tũ impreſſi tum manuſcripti pro ἰκαν legω, id eſt vltra, habent ἰκαν legων, id eſt vtrìſque. Locus ita eſt reſtituẽdus.

Genus autem morbi nullum eſt vltra dicta, quod vel ſimplicibus corporibus, vel compoſitis proprium ſit. Vide noſtras annotationes.

✱ Vnum morbi genus, legitur in Græco.

di

dictis partibus omnibus cõmune. Si enim quum in naturali sunt habitu, sit aliquid ipsis commune, quod animanti aut functionem, aut vsum aliquem præstet, hoc profecto sivitiatur, communis in ipsis morbus constituetur. Sed quid est hoc quod omnibus sit commune? partium vtriq; singularum vnitas: qua vnũquodq; corpus si præditum fuerit, vnum esse, & vnam functionem, vel vnum vsum perficere dicitur: quæ si ex aliqua occasione soluatur, ipsa illius partis morbus erit. Atqui quam in singulis partibus appellationem sortiatur hic morbus, paulò post dicemus, vbi iã dictorum generum differentias in suas partes dissecabimus.

Ex vtriusq; sectæ placitis repetit differẽtias morborũ partiũ similariũ, reprehẽdẽs eos qui symptoma nõ distinguũt à morbo: deinde docet imbecillitatis causas.

CAPVT V.

AGgrediamur itaque id quod proposuimus rursus à priori hypothesi initium sumentes. Hæc enim duos ponebat similarium partium morbos, in meatuũ ametria (id est à iusto modo declinatione) consistentes, vnum quum supra mo-

dum patent,alterum quum constipãtur. Atque vterque horum bifariã diuiditur: quippe constipatio fit, aut quum totum corpus vndique in sese contrahitur, aut quum meatus ipsi obstruuntur. At latitudo vbi vel corpus ad omnem partem extenditur,vel meatus quodammodo expanduntur: quod fieri solet quum concidunt elementa,quæ propriè corpora appellantur, nempe prima, simpliciaque. Nam quæ ex illis composita sunt, syncrimata (quasi concreta dixeris) vocant. Porrò altera hypothesis itidem duas habet morborum differentias, quippe similaria corpora interdum solis qualitatibus alterantur, interdum verò substantia quædam iam dictis qualitatibus prædita fluit ad ipsa. Atque hic secundus modus tumorem in corpore excitat,qui nullum medicorum latêre potest. Etenim erysipelata,phlegmonę,œdemata phymata,phygethla,strumæ, elephantiasis, psora, lepra, vitiligines,tumores duri, huius sunt generis, & facilè deprehenduntur. At morbi qui in sola qualitatum intemperie consistunt,non ita facilè cognosci possunt,nisi pars ipsa plurimum à naturali habitu deflexerit: tunc enim haud difficile fuerit eos cognoscere. Quippe vbi

vbi calor totum corpus infeſtat, febris nominatur: qui & in partibus nonnunquam haud obſcurè apparet. Nam & crura, iis qui vehementer & præter cõſuetudinem ambulauerint, & manus, ſi plurimum eas exercueris remigando, fodiendo aut quidpiam huiuſmodi faciendo, calidiores manifeſtè videntur non ſolum laborantibus ipſis, verum etiam iis qui extrinſecus eos tetigerint. Si enim magnus tumor in particula quapiam oriatur ob affluentem aliquam ſubſtantiam calidam, is ad ſecundam morborum differentiam pertinebit. Verum morbi quos iam diximus, & affectus quoque, qui aut ab adurente ſole, aut calfaciente igne vel in parte, vel in toto corpore relicti fuerint, ad primam ſunt referendi: quales ſunt τυφωειδεῖς & πυρετώδεις dicti. Eius verò morbi, qui calido opponitur, nẽpe frigidi affectus in extremis partibus adeò ſubinde manifeſtus eſt, vt ipſas emortuas decidere nonnunquam contigerit. At huiuſmodi affectus in vniuerſo quoque corpore accidit iis, qui ſub vehementi frigore iter agreſsi ſunt. Horum enim alij in ipſo ſtatim itinere mortem obierunt, alij priusquam domum reuerti potuiſſent, diuerſorium nacti, ſemimortui, gelidique

apparuerunt. Solet huiusmodi affectus accidere †apoplecticis, & comitialibus morbis, & trementibus, & conuulsis. Porrò eorum qui in itinere frigoris inclementia perierũt, alij emprosthotono, alij opisthotono, alij tetano, alij congelatione arrepti obriguerunt, alij quidpiam apoplexiæ simile perpeßi sunt. Cæterùm in omnibus his quibus symptoma aliquod accesserit, ipsum nonnullorum intelligentiæ adeò imponit, vt symptoma putent morbũ esse, & morbũ symptomatis causam. Quippe qui actionum noxas morbos esse arbitrantur, ij non ab re cõuulsionem, sentiendi vim abolitam, torporem, & id genus alia, morbos appellant. Sed nos ab initio de nominibus disputauimus, vt in his omnibus intelligas, non de rebus ipsis, sed de nominibus esse controuersiam. Quippe illi duntaxat reprehendendi videntur, qui suam ipsorum hypothesim non obseruantes, quanquam errant, putant tamen sapienter se quidpiam agere. Quippe audire licet eos, quum distinguunt, dicentes: Si à phlegmone nascatur conuulsio, ipsam esse phlegmones epigenema (perinde ac si dicas aduẽtitium germen) & symptoma. Si verò à sola intemperie prodierit, morbũ esse aiunt. Similiter de-

In Ald. desideratur καὶ τοῖς ἀποπληκτικοῖς.

fe

febre quoque ſtatuunt: quippe eam ſymptoma eſſe arbitrantur, quum ſenſibilem aliquem partis affectum ſequitur: alioqui morbum & pathos appellant. Qui & ſi reprehenſione maximè digni ſunt, tamē alienam cōfutationē nō expectantes ipſi ſeipſos irretire videntur. Igitur qui vel functionum offenſas morbos vocari ſtatuerint, ſi hoc ipſum perpetuò cōſtāterq; defendant, vel alioqui hallucinātur, ij vt in nominibus errare vidētur, ita in rebus ipſis nihil peccant. Sed medica nomina omnia in alio volumine accuratè perſecuti ſumus, proinde qui rectè ipſis vti voluerit, eum tractatum percurrat: in pręſentia verò, quia res ipſas conſiderandas ſuſcepimus, ſequentes prædictum de nominibus pactum, ad reliqua nos accingamus. De affectibus itaque tū calidis, tum frigidis nulla affluēte materia iā dictū eſt. Neque diuerſa ab his eſt humidorū, ſiccorumq; morborum generatio, quū tota corporū natura nulla extrinſecus irruente ſubſtantia alteratur: atque vt exiguas mutatiões deprehendere perdifficile eſt, ita magnæ haud obſcuræ cognoſcuntur, præſertim vbi partes aliquæ iam emortuæ vidētur. Nam quædam harum exiccantur, perinde ac ſi ſale conditæ ſint: id verò non ita

βρυώδη τε καὶ πλαδαρά.

crebrò euenire ſolet. Contrà quædã adeò ſunt† mucidæ, molles, laxæ, vt non ſolùm tangentibus, verùm etiam aſpicientibus innoteſcant: quippe ſi particulas ipſarum manibus tractare tentaueris, illico defluere, & è digitis excidere videbis, haud aliter quàm aquam. Sic oſsium quoque macidorum quædam in ſabulum ferè reſoluuntur, exemplo lignorum quibus vetuſtas cariem induxit, quædam verò ob immodicam humiditatis intemperiem, veluti mucida demoriuntur. Cæterum reliquæ omnes partium intemperies, ſi exiguæ fuerint, ab indocta multitudine non percipiuntur: quam ob rem eas vulgo imbecillitates vocant. Etenim ſi phlegmone, vel vlcus, vel aliquid huiuſmodi, ventrem infeſtet, nullam aliam cruditatis cauſam quærunt: vbi verò nihil horum apparet, tum ventriculi imbecillitatem in cauſa eſſe dicunt, tanquam aliud dixerint ab eo quod manifeſtum eſt, puta cibos non probè concoqui. Quid enim aliud intelligere poſsis, quum imbecillitas eius dicitur, niſi functionis infirmitatem? verum non hoc, ſed quæ huius imbecillitatis cauſa, id verò quæritur. Quid enim obſtat, quo minus venter ſuo munere fungatur, vbi neque phleg

phlegmone, neque ſcirrhus neque vlcus, neque aliud quippiam huiuſmodi ipſum infeſtat?neque enim ſine cauſa factum eſt vt non probè concoquat. Itaque oportet omnino vel meatuum ametriam vel intemperiem incuſare. Hinc etiam manifeſtè patet, nullum ex primis morbis, qui ad ſimilares partes propriè pertinent: eos poſſe via & ratione curare, ſine primorum elementorum contemplatione. † Sed hos in alijs tractationibus, pro vt res expoſtulabat, confutauimus. Id verò in pręſentia ſcire oportet omnem imbecillitatem, ſiue ventriculi, ſiue venæ, ſiue arterię, ſiue muſculi, atque (vt ſimpliciter dicam) cuiuſlibet inſtrumenti, tum vitalis, tum animalis, neceſſariò vel ob meatuũ ametriam, vel ob intemperiem euenire. Verùm quibus notis huiuſmodi affectus deprehendi poſsint, non eſt huius negotij: quippe qui non notas ſcribere, ſed ipſos primos morbos enumerare propoſuimus. Hactenus omnes ſimiliarium partium morbos recenſuiſſe mihi videor.

† In antiquis codi. Græco legitur, περὶ μὲν τῶν τοιούτων, non πρὸς μὲν τούτοις.

Docturus morbos partium organicarum prius morbum ab eius cauſſa diſtinguit, breuiterq́ue indicat vnde inſtrumentorum omnium morbi naſcantur.

CAP. VI.

COnsequens est vt eos qui ad instrumenta pertinent, percurramus. Iam verò aliàs demonstratum est, in ipsis esse vnam aliquam quæ sit actionis causa, reliquas verò omnes, vt huic vsum quẽdam præstent, fuisse creatas: proinde totius instrumenti functio maximè ac præcipuè vitiabitur, vbi pars ipsa, quę functionis est causa, ægrotauerit. Ac reliquarum partiũ omnium vehementiores affectus actionẽ impediunt. Igitur qui non per seipsos, sed quatenus primo actionis instrumento nocent, actionem impediunt, non morbi, sed morborum causæ sunt. Vbi vero nihil incõmodant primo functionis organo, possint tamen functionem impedire, iam huiuscemodi affectus morbi sunt appellandi. Nascuntur vero, vt iã diximus, vbi vel confirmatio à naturali habitu euariat, vel particularum debitus numerus, vel decens singularum magnitudo non seruatur, vel non vt oportebat inter se cõpositæ sunt. Quoniam igitur natura, vt iam demonstratum est, nullam harum frustra fecit, sed ad eum finem formauit omnes, vt quodlibet instrumentum, vel cõmodius, vel tutius suo munere fungeretur, necesse omnino est earum noxas, quæ

fun

functionem vel in totum prohibent, vel impediunt, in morborum numerum redigere. Quæ verò ad primæ partis, quæ functionem efficit, noxam cõferunt, eas morborum, vt nuper dictũ est, causas appellare oportet.

Tradit morbos partis organicæ ortos ex forma corrupta, ostendens qui & quales sint, & quæ eorum causa, atque obiter morbum symptomatis causam esse.

CAP. VII.

QVam ob rem & vaciarum, & varorum, & plancorum crura minus expeditè suo munere fungũtur, eo quòd ab idonea figura deflexerunt. Itidem quibus fracta ossa non rectè curata fuerunt, ne ipsi quidem huius membri officium probè perficiunt. Neque non malè opus suum aggrediuntur crura, vbi ob vehementem articulorum dolorem luxatio sequuta est: aut quum perfracto iuxta articulos supercilio, articulus exiliens promptè luxatur, aut vbi eminentior, callus articulo innascitur: per huiusmodi affectus ob spatij angustiam totus articulus non facilè poterit moueri. Atqui huiuscemodi figurarum vitia aduentitia sunt. Nã sunt quædam natiua, quæ in vtero contrahuntur,

prima ſtatim conformatione peccante. Hæc in quacunque corporis parte euenerint, ex eadem animal efficiunt ægrotum. Oportet enim cordis, pulmonis, ventris, cerebri, linguæ, lienis, renum, ac reliquarum partium omnium, ſeruari figuram, quæ ſi vitio quopiam offenditur, totius inſtrumenti functionem deteriorem reddi neceſſe eſt. Iam verò niſi tum magnitudo, tum multitudo omnium concauitatum, quę partibus debētur, ſeruetur, neceſſariò ipſarum occaſione offendetur actio. Sed multiplices ſunt huiuſcemodi morbi: alij quia meatus coaleſcunt, alij quia ijdem à viſcidis craſsiſq; humoribus obſtruuntur, conſiſtere ſolent: rurſus alii quia † exiccata ſunt corpora, aut à vicina aliqua parte ingruente compreſſa cōſtipantur. Atque corporum ipſorū, quibus huiuſmodi ſunt meatus, eſſentia interdum vel indurata, vel phlegmone prædita, † vel tabeſcens, vel ſuppurata, vel inflata, aut aliàs aduentitia magnitudine turgēs, deinde ſua mole proprias concauitates occupans, meatus obturat. Verum huiuſcemodi meatus longo interuallo differūt ab ijs, quos prioris ſectæ principes, ex primorum elementorum impatibilium concurſu ortum habere propoſuerunt. Etenim inteſtinorum,

† Quidam cod. anti. habēt non αὐαινομένων, ſed αὐξανομένων, id eſt inaucta ſunt. ſed hæc eſt melior lectio.

† καὶ σφακελίζουσα, καὶ, διαπυισκομένη, καὶ οἰδισκομένη.

rum, venarum, arteriarum, ac omniũ huiuſcemodi inſtrumentorum meatus, & lati ſunt, & manifeſti, quos nemo nõ videt. Quòd ſi aliqui adeò ſint exigui, vt ſenſum ſubterfugiant, non tamen protinus huiuſcemodi meatus eiuſdem ſunt generis cum iis, quos prioris ſectæ autores inſtituerunt. Atque per omnes eiuſmodi affectus, in quibus corporũ ipſorum in tumorem ſublatorum meatus occludi cõſtipari que contingit, nonnunquam vnus duntaxat eſt morbus, nempe obſtructio, quæ functionem lædat: nonnunquam præter hunc alius quoque corporum affectus inſtat, qui obſtructionẽ efficit. Quòd ſi corpus quod in tumorẽ attollitur, nullã propriam habeat functionem, vnus quidẽ erit morbus, puta obſtructio: corporis verò quod in tumorem attollitur affectus, non morbus, ſed morbi ipſius cauſa cenſetur. Si enim, exempli cauſa, tunica venæ, quæ in ſima iecinoris parte continetur, huiuſmodi quempiam affectum ſuſtinens, meatum conſtipet, per quem gibbi ipſius vaſa ſanguinẽ recipiunt, duo exiſtimandi ſunt morbi, alter ipſius venæ affectus, alter obſtructio meatus, quippe venę affectus obſtat, quo min' ſanguis vtilis generetur: obſtructio verò ipſius per corpus digeſtionem

nem impedit. Atqui harum functionum vtraque animanti est necessaria. Et enim manifestum est eos affectus qui primò functioni officiunt, morbos esse nominandos. Vbi verò nihil patitur vena, †crassi autem & viscidi humores meatibus infixi digestionem per corpus remorantur, hic affectus, nempe obstructio, vnicus erit visceris morbus. Haud aliter in intestino: si sola fuerit obstructio, vnicus erit morbus: at si phlegmone quoque infestetur, atque ob hanc internum ipsius spatium claudatur, prohibeaturque excrementorũ transitus, tum duo erunt morbi. Nam subinde morbus ex morbo nascitur, veluti in ijs quos diximus, videre est. Quando quidem phlegmonas, erysipelata, herpetes, carbones, & id genus reliquos, febris comitatur: nonnunquam enim id quod effectum est, functionis est vitium: oportet ipsum tum pathema, tum symptoma nominare, qppe symptomatis causa morbus appellatur, veluti obstructio: ipsa eñ in causa est, quo minus alimentum per corpus digeri posit. Quod vix autẽ quis sentiat, refrigeratio in causa est: atque hęc morbi nomine censetur, à quo huiusmodi symptoma, originem traxit. Itaq; quũ affectus ipse functioni primo incommodat,

Malè legitur in Aldi. ὄυτης pro αὐτῆς.

dat,

dat, eius verò causa ipsam non lædit: † affectum quidem morbum, id verò quod ipsum effecit causam morbi nominare oportet, id quod in succis crassis viscidisq;, atque obstructione, facilè deprehenditur: quippe obstructio ipsa morbus est, succi autem causæ sunt morbi. Cæterum concauitatum morbi, siue obstruantur, siue immodicè pateant, omnes ad conformationis genus reducũtur: quippe in omnibus his naturalis conformatio impedita videtur. Neque verò natura cùm partes formaret, eas frustra vel læuigauit, vel exasperauit; hac enim occasiõe per singulas partes morbi nasci possunt, nẽpe exasperata ea parte, quæ suapte natura debuit esse læuis: læuigata verò ea, quam oportuit asperam esse. In hoc genere euidentissimæ innotescunt medicis osium tum læuitates, tum asperitates: neque non faucium quoq; asperitas, ob quam tussis excitari solet. Ac scire in præsentia oportet, vbi læsa est particulæ figura, simul cum ipsa vitiari meatum aliquem, id quod in naso facile videre est, quum enim ob violentum ictum simus est factus, internum meatum adeò astringit, vt per ipsum vel nulla omnino, vel admodum difficilis fiat respiratio. Atqui neminem latet, in huiusmodi

† In anti. additur πρώτως id est primũ.

modi affectibus meatus constipationem esse morbum, quippe qui primo respirationis functionem obturbat: causa autem quæ ipsum præcedit, est resima nasi figura, quę naturalis figurę ipsius noxa est. Igitur parte quapiam in cõfirmationis genere à naturali habitu aberrante, adeò vt functionis noxam subeat, prædictæ morborum differentiæ suboriuntur.

Recēset differentias morborum, qui ex partium numero aut excedēte aut deficiente nascuntur, addens ecrũ que morbi, qui causa & qui vtriusque rationem habeant.

CAPVT VIII.

IN numero autem partium simpliciũ, ex quibus singula instrumenta constituuntur, duplices inueniuntur morborũ differentiæ: aut enim deest, aut abundat pars aliqua: atque in harum vtraque, rursus aliæ deprehenduntur differentiæ. Nã earum quæ abundant, aliæ iis quæ natura ꝑ sunt habitu annumerãtur, vt si cuipiam sextus expullulet digitus, aut in oculo pterygiõ, id est, vnguis, aut in naribus corpulentum tuberculum, aut in alio quopiam meatu, id genus aliud. Sed horum aliqua

in

inter morbos reputantur, vt pterygion: nam quum plurimùm increuerit, & pupillam obſcurauerit, viſum impediet: alia verò cauſæ morborum ſunt, vt tubercula quæ meatus obſtruunt: in primis enim obſtructio morbus eſt, quippe quæ primo functionem offendit. quædam verò toto genere præter naturam ſunt, vt lumbrici, aſcarides, lapis in veſica, grando in oculo, ſuffuſio, pus, itidẽ acrochordones, meliceriδes, atheromata, ſteatomata, vitiligines, lepræ, † calli præterea quidquid in abſceſſibus deprehenditur. Ex his ea quę primo functionem impediunt, morbos eſſe dicemus, vt ſuffuſionem: quæ verò non ita morborũ cauſas, id verò latêre puto neminem. Earum verò partium quæ deſunt, quædam radicitus perierunt, quædam veluti ex dimidio & amputatæ ſunt & mutilatæ. Atqui manifeſtum eſt cuique huiuſmodi complura protinus à prima generatione deprehendi. At verò iis qui in lucem ſunt editi, auferuntur ſubinde oſſa integra ex digitis, membris, capite, & lateribus. Aufertur etiam nonnunquam digitus, pes, extrema manus, crus, cubit', item venæ varicoſæ, glanduſæ induratæ, dentes exeſi, atque eximitur etiam gurgulio, omentum, præputium, & pudendi

pars

† *In græco additur.* καὶ λέπ-

pars aliqua ac ſubinde totum pudendum, ſimiliter & teſtes. Sic correptus quidã non ita pridem vehementi vniuerſi corporis conuulſione, linguę anteriorem partem mordicus amputauit: atque hic reualuit quidem à cõuulſione, ſed loqui, vt antea, haud quaquam potuit. Sub hoc genere cõtinentur, labiorũ, aurium, narium, vt vocant, detruncationes. Sic partes quædam corpulentæ, aut violenter auulſæ, aut putrefactæ funditus exectæ ſunt. Atque per huiuſmodi miſerias ſiue vna pars, ſiue duæ, ſiue plures deſint, quæ, vel omnino perierint, vel partim fuerint exemptę, naturalis partiũ numerus erit imperfectus. Igitur quæcunq; harum functionem impediunt, eadem ratione in morborum ordine collocari debent: quæ verò partem aliquam aliam actionis opificem vel refrigerant, vel ei nõ ſatis alimẽti tranſmittunt, morborũ cauſæ dicendæ ſunt. Quædam vtroq; tum cauſæ, tum morbi, nomine continentur, vt gurgulio, quum funditus fuerit exectus, & vocem obturbat, & pulmones & pectus refrigerat. Quũ enim ex eo libro, qui & functiones & vſus ratiocinatione docet, didiceris omniũ animãtis partium alias functionem aliquam toti animali vtilẽ perficere, alias per ſe quidem

dem nihil agere, ſed vſum quendam iis quæ agunt præbere: proculdubio earum noxas, quæ actionem planè vitiant, morbos: eas vero quæ vſum aliquem ſubtrahunt, morborum cauſas appellabis. Proinde partes quæ duplicem vel functionem vel vſum obtinent, ex vnica quandoque noxa, duplicem habebunt vel morbi, vel cauſæ rationem. Quod ſi pars aliqua vtrũque poſsit præſtare, nempe functionem & vſum, veluti gurgulio: eius abolitio vna quidem ratione morbus eſt, altera vero morbi cauſa. Atqui manifeſtum eſt, vt ad reliquam partem, quæ adhuc manet & ſeruata eſt, morbus ſit referendus: nõ ad eam quæ iam non eſt: quippe non negaueris & vuam & gurgulionem (vt nominant) particulam eſſe ſpatij in ore, in quo ſita eſt ea pars quę nũc perpeti videtur. Igitur quum abolita eſt, & ſpatium ipſum deſeruit: totum id quod reſiduum eſt, morbum ſuſtinebit, eo conſtanter manente, quod ab initio in confeſſo erat, nempe quamlibet functionem à morbo offendi. Quam ob rem aut oſtendere oportet, & inſpirationem & vocem nõ eſſe functiones animantis, aut ſi id probari nequeat, manifeſtum fuerit abolitam vuam morbum in palato efficere poſſe. Haud aliter dentis abolitio,

oris morbus est, quivel mandendi munus offendit in parte quæ dentem amisit, si is ex molarium numero fuerit: aut simul edendi, loquendique munia impedit, si ex eorum numero fuerit qui cibos incidere solent. Græci τομέυς vocant. Sic vbi linguę dimidium abscissum est, reliqua pars mutilationem præter naturam sustinet. Itidem & de omento, & pudendo, & reliquis omnibus ita affectis dicendum est. Quod si quis huiusmodi non morbum, sed pathos, aut pathema voluerit appellare: is non de re, sed de nomine contendet. Id vero facile intelligitur, per omnes iam dictos morbos nõnihil ex magnitudine minui, tum linguæ, tum omenti, tum etiam pudendi, tum denique omnium huiusce-modi mutilatorum instrumentorum: nõ tamen protin' animalis ipsius diminutio adeò manifesta necessariò erit, vt ob hoc mutilum esse videatur. Sed partium numerum quendam amittit, tametsi per huiusmodi affectus, & arteriæ, & venæ, & nerui, & cutis interdum, & adeps, & membranæ, & carnes eximuntur. Atque gurgulione, aut varicibus incisis, numerus quidam partium ab ipsis instrumentis aufertur. Atque omnia hęc ad immutatum partium numerum sunt referenda. Vbi vero

ab

ab instrumento quopiam aliquid eximitur, sed non eximitur pars absoluta, huiusmodi affectus in vtroque ferè genere comprehenditur, quippe deest animanti, tum simplicium particularum numerus, tum compositi instrumenti magnitudo: totũ enim mutilatum est. Neque vlli dubium est, quin vterque affectus, tum is qui ad numerum, tum is qui ad magnitudinem pertinet, in superiore prædicamenti genere, nempe quantitate comprehendi possit, quandoquidem quantitas duas complectitur species: discretam, quæ propriè quantitas nominatur: & continuam, quã Græci πηλίκον vocãt. Verùm in præsentia, vt clarior esset doctrina, eas separatim distinguere volentes, alteram ad numerũ, alteram ad magnitudinem reduximus.

Differentia morborum ex inepta magnitudine.

CAP. IX.

POsteà quàm de morbis qui ad numerum spectant, iam dictum est; eos qui particularũ magnitudine consistunt, quomodocunq; eos nominare placuerit, persequemur, qui quidem à iam dicto genere distingui videntur. Si enim seruante particula figuram suã magnitudo ad-

eo vitietur, vt hanc ob causam actio impediatur, accidens ipsum particulæ morbus erit veluti si in prima statim conformatione, lingua vel ad tantam increscat magnitudinem, vt ad nullam oris partem sese deflectere possit, vel adeo sit exigua, vt nõ omnes partes eius attingat. Verũ qui post ortum iam perfecti videntur, ijs non ita crebro solent partes ad magnitudinẽ præter naturam attolli. Atqui minuũtur subinde, appellaturque morbus hic aliis atrophia, id est defectus cibi, alijs phthisis, id est tabes ipsius partis. Porro immodica incrementa eueniunt, in vlceribus, supercrescente carne atque in eo morbo quẽ priapismum vocant. Nicomachi vero Smyrnæi corpus adeo immodicè auctum est, vt ne mouere quidem seipsum posset: atque hunc sanitati restituit Asclepiades. Vidimus etiam linguam cuiusdam mirum in modum auctam, idque citra omnem sensum doloris, vt neque œdema, neque scirrhus, neque phlegmone videri posset. Nam neque excauata est sub premente digito, neque sensum amisit, neque dolebat. Sed hic affectus incrementum quoddam erat partium, ita tamẽ, vt ipsa partis essentia ab omni noxa videretur immunis. Sic testiculos quoque & mammas, alijs

vtros-

vtroſque, [illegible] uis alterum duntaxat, immodicè inc[illegible] compertum habemus. Ad hoc gen[illegible] net & ſtruma, vt vocant, quippe quæ [illegible] noderatius aucta, non parum functioni incommodat. Similiter oculorum quoque anguli, vbi à iuſto modo receſſerint, ſiue immodicè fuerint aucti: ſiue diminuti. Græci alterum encanthida, alterum rhœada appellant. Atque huiuſmodi ſunt in hoc genere differentiæ morborum.

Differentiæ morborum prouenientium ex conſtructione indecenti & euariante ab habitu naturali.

CAP. X.

CAeterùm cōpoſitione à naturali habitu aberrante, morbi naſcuntur: in poſitu quidem, vt ſunt articulorum tum luxatio, tum commotio, item ſi vel inteſtinum, vel omentum in ſcrotum deuoluitur: hoc epiplocele, illud enterocele. Græcis nominatur. Vbi vero vicinarum partium inter ſeſe conſenſus à naturali ordine receſſerit, vt ſi ligamentum vel laxum vel intentũ vel abruptum fuerit, impediet in ea parte motum articulis debitũ. Huius generis ſunt linguæ, pudendorũq; immodica vincula: quippe quæ linguā in loquē-

di mandendiq́; functione impe[illegible]iunt: pudenda verò ob auersum me[illegible] [illegible]ohibẽt, quò minus semen genitale [illegible] [illegible] rectoq́; incessu in fœminæ vterũ iniicere possint. Eiusdem notæ sunt labia, palpebrę, digiti, sedes, atque aliæ huiusmodi partes, quum ob vlcus pręter naturam coalescũt. Atque hoc pacto colligere oportet morborũ species, quæ à compositione proueniunt.

Differentiæ morborum ex soluta vnitate orientium, eorumque in variis partibus varia nomenclatura. CAP. XI.

IAm ad reliquum, idq́; quintum genus morborum transeamus, nẽpe vnitatis solutionem, siue illa simplicibus, quæ similares vocantur, partibus adueniat, siue compositis, quippe cuius paulo antè inter cõmunes vtrisque partibus morbos mentionem iam fecimus. Quum enim vel ligamentum vel arteria diuellitur, & totius instrumẽti, & ipsius diuulsæ partis, cõmune erit pathema: nã vtriusq; soluitur vnitas: totius quidẽ, quia partes neq; sibi inuicẽ cohærent, neq; in vnũ redigũtur: partis vero diuulsæ, quia nõ manet vna, quippe quæ in duas dissecta sit. Quod si non tota sed pars eius aliqua fuerit diuulsa: tũ affectus hic, nõ totius instrumenti morbus est (nisi ex accidẽte, ꝙ pars eius aliqua fuerit

affe-

affecta) sed ad affectam duntaxat partem propriè insigniterque pertinere videtur. Porrò cõtinui solutio, in osse quidem fractura nominatur, in carne verò cõmuniter vlcus. Ruptura verò & conuulsio ab eodem genere manant, nisi quòd hęc neruis, illa verò carni tribuitur. Diuelluntur autem neruorum fibræ, aut sub violenta aliqua attritione, aut vbi derepente affatimq́; intẽdũtur. Atquę ἀποσπάσματα id est auulsiones, vocantur, instrumentorum dũtaxat sunt pathemata. Habes iã omnes simpliciũ morborũ differentias: cõsequẽs est vt cõpositos quoq; persequamur à similaribus rursum corporibus incipientes.

Absoluta morborũ simplicium tractatione compositorũ differentias aggreditur, quas tradit in partibus similaribus, etiam ex vtriusque secta placitis. C A P. X I I.

IGitur qui priorem hypothesin sequuntur, morbum quendam statuũt ex meatuum laxitate constipationeq́; cõpositũ: non quod singuli particulatim meatus vtrunque sustineant, sed vicissim alij constipentur, alij dilatentur: ita tamen vt vtrũ magis accuses, latitudinẽ an cõstipationẽ meatuũ in toto similari corpore haudquaquã inuenias, neq; etiã sumere queas sensibilem eius partem, cui alterum dũtaxat

adſit, ſed quancunque ſumpſeris, ſemper tota ab vtriſq; afficietur. Alterius verò hypotheſis autores, ſolis qualitatib' à naturali habitu aberrantibus, per ſingula corpora ſimiliaria quatuor compoſitos morbos dinumerãt, calidum ſimul & ſiccum, calidum ſimul & humidũ, frigidũ ſimul & ſiccum, frigidum ſimul & humidũ. Affluente autem ipſis eſſentia quapiam, itidem quatuor aliì ex qualitatib' eodẽ modo coniugatis, naſcentur morbi. Quia verò continui ſolutio non ſolùm inſtrumentis, ſed ſimplicibus quoq; corporibus accidere ſolet, idcirco connectitur ipſa nonnunquam iam dictis, iuxta vtriuſq; ſectæ ſententiam, morbis compoſitis, neq; non ſimplicibus quoq; quos ſtatim in huius operis initio deſcripſimus. Quippe fieri poteſt vt pars aliqua ſuſtineat vlcus, & ſimul vel ſiccitate, vel humiditate, vel frigore, vel calore, præter naturam afficiatur: aut etiã vnà cùm vlcere, ſimul & calore & humore infeſtetur. Igitur partes quas ſimul & vlcus & phlegmone afficiunt, trifariã, à naturali habitu recedũt: etenim ob vlc', partium ſuarũ vnitatẽ amittũt: ob phlegmonen verò naturali ſua temperie calidiores fiunt & humidiores. Deniq; tumor in ipſis, ſi ad tãtam magnitudinem attol-

la

latur,vt ob hanc ipſam functio impediatur,morbus cenſeri debet:alioqui vel ſymptoma vel pathema duntaxat, quẽadmodum & dolor. Igitur quæcunque pars vnà cum phlegmone vlcere quoque infeſtatur, eam triplici morbo affici neceſſe eſt, quamuis nonnunquam quatuor ſuſtinere poſsit. Porrò phlegmonen in pręſentia nõ nominamus pro veteri more, partium veluti inflammationem, ſed rubentem renitentemque tumorem, & qui dolorem inferat. Atque itidem in eryſipelate nonnũquã vſu venit. Anthraces, id eſt, carbones aliter conſiſtere haudquaquam poſſunt. Herpetes & cãcri in his mediam naturam obtinent, nam magna ex parte vlceribus coniunguntur, interdum ſine his conſiſte re videntur. Atque huiuſmodi morbi compoſiti ſunt, vel nullo comitante vlcere. Principio quòd omnes ex abundante naſcuntur humore. Eryſipelas à flaua bile: Cancer ab atra bile: Phlegmone à ſanguine: Oedema à pituita. Deinde quòd omnes iam dicti humores quanquam ſecundum ſpeciem ſunt humidi, potentia tamẽ non omnes humidi ſunt. Nam atra bilis ſicca & frigida eſt: flaua bilis ſicca eſt, & calida: pituita humida & frigida: ſanguis humidus & calidus eſt. Poſtremo quòd

cōpoſito morbo laborare putabimus. Igitur fac eſſe, ſi ita ſors tulerit, vt id in oculo eueniat (Neque enim impoſſibilis eſt hypotheſis) nempe pterygion, id eſt vnguis, & lippitudo, & eroſio ceratoidis, & † exitus rhagoidis, incipienſque apparere ſuffuſio: hic non eſſe vnum duntaxat & ſimplicem morbum, id verò latere poteſt neminem. At nō deerit quiſpiam, qui omnes huiuſmodi affectus, compoſitū oculi morbum vocabit: alius verò non vnum compoſitū, ſed plures dicet eſſe in oculo morbos, in diuerſis ipſius partibus conſiſtentes. Verùm ob hoc haudquaquam variabitur medendi indicatio, cuius gratia omnes huiuſmodi quęſtiones tractamus, ſiue vnus fuerit compoſitus morbus, ſiue plures pugnātibus remediis indigētes. Sed de his in opere de medendi methodo amplius diſſerem'. At hoc in loco ſatis fuerit oſtendiſſe probabilem vtroſq; fouere ſententiam, tum eos qui plures eſſe morbos in oculo arbitrātur, tum eos qui, vt vnum eſt inſtrumentum affectum, ita vnum quoq; morbum eſſe autumant: compoſitum verò quando, vt dictum eſt, plures ſint in ipſo partes affectę. Igitur quemadmodum ſimplicium morborum, alius quidem primo, totius inſtrumēti morbus erat, veluti ſuffuſ

† Πρόπτωσις.

fuſ

usio, alius verò ex accidente, vt vlcus in
eratoide: ita compositorũ quoque mor-
orum alij propriè ad totum instrumen-
um referuntur, nempe qui cõplures eius
articulas simul infestant: alij verò per ac
idens, qui in vna quapiam ipsius particu
a consistunt morbi compositi, vt lippi-
udo, quæ inhærentis membranæ phleg-
none est: quippe phlegmonen compo-
itum affectum esse, iam demonstratum
st. Quòd si præterea vlcus in membrana
uboriatur, sic profectò multò magis com
ositum morbum particula ipsa sustine-
it: at nihilominus totus ipse oculus com
osito morbo laborare dicẽdus est. atque
uiusmodi sunt, qui ex accidenti ad totũ
eferuntur instrumentum morbi compo-
iti. At vero ij per quos eodem tempore
nultæ partes afficiuntur, ipsorum instru-
mentorum primo compositi morbi sunt,
præsertim si particulatim quiuis simplici-
um, non ex accidenti, sed primo totius in
strumenti morbus fuerit, vt in oculo pte-
rygion, id est vnguis, suffusio, rhoeas. Ho-
rum quilibet proprius est oculi morb': at
quum simul omnia concurrunt, compo-
situm, propriumq́ue oculi morbum con-
stituunt. Igitur si hac via & ratione proces
seris, facile omnes compositos instrumẽ-
tor

modi affectibus meatus constipationem esse morbum, quippe qui primo respirationis functionem obturbat: causa autem quæ ipsum præcedit, est resima nasi figura, quę naturalis figurę ipsius noxa est. Igitur parte quapiam in cõfirmationis genere à naturali habitu aberrante, adeò vt functionis noxam subeat, prædictæ morborum differentiæ suboriuntur.

Recēset differentias morborum, qui ex partium numero aut excedēte aut deficiente nascuntur, addens ecrũ que morbi, qui causa & qui vtrinque rationem habeant.

CAPVT VIII.

IN numero autem partium simpliciũ, ex quibus singula instrumenta constituuntur, duplices inueniuntur morborũ differentiæ: aut enim deest, aut abundat pars aliqua: atque in harum vtraque, rursus aliæ deprehenduntur differentiæ. Nã earum quæ abundant, aliæ iis quæ natura sunt habitu annumerãtur, vt si cuipiam sextus expullulet digitus, aut in oculo pterygiõ, id est, vnguis, aut in naribus corpulentum tuberculum, aut in alio quopiam meatu, id genus aliud. Sed horum aliqua

ter morbos reputantur, vt pterygion:
am quum plurimùm increuerit,& pupil
ım obſcurauerit,viſum impediet:alia ve-
ò cauſæ morborum ſunt, vt tubercula
uæ meatus obſtruunt: in primis enim
bſtructio morbus eſt,quippe quæ primo
functionem offendit. quædam verò toto
genere præter naturam ſunt,vt lumbrici,
aſcarides,lapis in veſica,grando in oculo,
ſuffuſio, pus,itidē acrochordones,melice-
rides,atheromata,ſteatomata,vitiligines,
lepræ,† calli prætereà quidquid in abſceſ- † In græco additur. καὶ λεῦ-
ſibus deprehenditur.Ex his ea quę primo
functionem impediunt,morbos eſſe dice-
mus, vt ſuffuſionem: quæ verò non ita
morborũ cauſas, id verò latêre puto ne-
minem. Earum verò partium quæ de-
ſunt,quædam radicitus perierunt, quæ-
dam veluti ex dimidio & amputatæ ſunt
& mutilatæ.Atqui manifeſtum eſt cuique
huiuſmodi complura protinus à prima
generatione deprehendi. At verò ijs qui
in lucem ſũnt editi, auferuntur ſubinde
oſſa integra ex digitis,membris,capite, &
lateribus. Aufertur etiam nonnunquam
digitus,pes,extrema manus,crus, cubit',
item venæ varicoſæ, glanduíæ induratæ,
dentes exeſi, atque eximitur etiam gur-
gulio, omentum,præputium, & pudendi
pars

pars aliqua ac ſubinde totum pudendum, ſimiliter & teſtes. Sic correptus quidã non ita pridem vehementi vniuerſi corporis conuulſione, linguę anteriorem partem mordicus amputauit: atque hic reualuit quidem à cõuulſione, ſed loqui, vt antea, haud quaquam potuit. Sub hoc genere cõtinentur, labiorũ, aurium, narium, vt vocant, detruncationes. Sic partes quædam corpulentæ, aut violenter auulſæ, aut putrefactæ funditus exectæ ſunt. Atque per huiuſmodi miſerias ſiue vna pars, ſiue duæ, ſiue plures deſint, quæ, vel omnino perierint, vel partim fuerint exemptę, naturalis partiũ numerus erit imperfectus. Igitur quæcunq; harum functionem impediunt, eadem ratione in morborum ordine collocari debent: quæ verò partem aliquam aliam actionis opificem vel refrigerant, vel ei nõ ſatis alimẽti tranſmittunt, morborũ cauſæ dicendæ ſunt. Quædam vtroq; tum cauſæ, tum morbi, nomine continentur, vt gurgulio, quum funditus fuerit exectus, & vocem obturbat, & pulmones & pectus refrigerat. Quũ enim ex eo libro, qui & functiones & vſus ratiocinatione docet, didiceris omniũ animãtis partium alias functionem aliquam toti animali vtilẽ perficere, alias per ſe quidem

em nihil agere, ſed vſum quendam iis
quæ agunt præbere: proculdubio earum
noxas, quæ actionem planè vitiant, mor-
bos: eas vero quæ vſum aliquem ſubtra-
hunt, morborum cauſas appellabis. Pro-
inde partes quæ duplicem vel functionem
vel vſum obtinent, ex vnica quandoque
noxa, duplicem habebunt vel morbi, vel
cauſæ rationem. Quod ſi pars aliqua vtrũ
que poſsit præſtare, nempe functionem &
vſum, veluti gurgulio: eius abolitio vna
quidem ratione morbus eſt, altera vero
morbi cauſa. Atqui manifeſtum eſt, vt ad
reliquam partem, quæ adhuc manet & ſer
uata eſt, morbus ſit referendus: nõ ad eam
quæ iam non eſt: quippe non negaueris &
vuam & gurgulionem (vt nominant) par
ticulam eſſe ſpatij in ore, in quo ſita eſt ea
pars quę nũc perpeti videtur. Igitur quum
abolita eſt, & ſpatium ipſum deſeruit: to-
tum id quod reſiduum eſt, morbum ſuſti-
nebit, eo conſtanter manente, quod ab
initio in confeſſo erat, nempe quamlibet
functionem à morbo offendi. Quam ob
rem aut oſtendere oportet, & inſpiratio-
nem & vocem nõ eſſe functiones animan
tis, aut ſi id probari nequeat, manifeſtum
fuerit abolitam vuam morbum in palato
efficere poſſe. Haud aliter dentis abolitio,

oris morbus est, qui vel mandendi munus offendit in parte quæ dentem amisit, si is ex molarium numero fuerit: aut simul edendi, loquendique munia impedit, si ex eorum numero fuerit qui cibos incidere solent. Græci τομεῖς vocant. Sic vbi linguę dimidium abscissum est, reliqua pars mutilationem præter naturam sustinet. Itidem & de omento, & pudendo, & reliquis omnibus ita affectis dicendum est. Quod si quis huiusmodi non morbum, sed pathos, aut pathema voluerit appellare: is non de re, sed de nomine contendet. Id vero facile intelligitur, per omnes iam dictos morbos nõnihil ex magnitudine minui, tum linguæ, tum omenti, tum etiam pudendi, tum denique omnium huiuscemodi mutilatorum instrumentorum: nõ tamen protin' animalis ipsius diminutio adeò manifesta necessariò erit, vt ob hoc mutilum esse videatur. Sed partium numerum quendam amittit, tametsi per huiusmodi affectus, & arteriæ, & venæ, & nerui, & cutis interdum, & adeps, & membranæ, & carnes eximuntur. Atque gurgulione, aut varicibus incisis, numerus quidam partium ab ipsis instrumentis aufertur. Atque omnia hęc ad immutatum partium numerum sunt referenda. Vbi vero

ab

ab instrumento quopiam aliquid eximitur, sed non eximitur pars absoluta, huiusmodi affectus in vtroque ferè genere comprehenditur, quippe deest animanti, tum simplicium particularum numerus, tum compositi instrumenti magnitudo: totũ enim mutilatum est. Neque vlli dubium est, quin vterque affectus, tum is qui ad numerum, tum is qui ad magnitudinem pertinet, in superiore prædicamenti genere, nempe quantitate comprehendi possit, quandoquidem quantitas duas complectitur species: discretam, quæ propriè quantitas nominatur: & continuam, quã Græci πηλίκον vocãt. Verùm in præsentia, vt clarior esset doctrina, eas separatim distinguere volentes, alteram ad numerũ, alteram ad magnitudinem reduximus.

Differentia morborum ex inepta magnitudine.

CAP. IX.

POsteà quàm de morbis qui ad numerum spectant, iam dictum est; eos qui particularũ magnitudine consistunt, quomodocunq; eos nominare placuerit, persequemur, qui quidem à iam dicto genere distingui videntur. Si enim seruante particula figuram suã magnitudo ad-

eo vitietur, vt hanc ob causam actio impediatur, accidens ipsum particulæ morbus erit veluti si in prima statim conformatione, lingua vel ad tantam increscat magnitudinem, vt ad nullam oris partem sese deflectere possit, vel adeo sit exigua, vt nõ omnes partes eius attingat. Verũ qui post ortum iam perfecti videntur, ijs non ita crebro solent partes ad magnitudinẽ præter naturam attolli. Atqui minuũtur subinde, appellaturque morbus hic aliis atrophia, id est defectus cibi, alijs phthisis, id est tabes ipsius partis. Porro immodica incrementa eueniunt, in vlceribus, supercrescente carne atque in eo morbo quẽ priapismum vocant. Nicomachi vero Smyrnæi corpus adeo immodicè auctum est, vt ne mouere quidem seipsum posset: atque hunc sanitati restituit Asclepiades. Vidimus etiam linguam cuiusdam mirum in modum auctam, idque citra omnem sensum doloris, vt neque œdema, neque scirrhus, neque phlegmone videri posset. Nam neque excauata est sub premente digito, neque sensum amisit, neque dolebat. Sed hic affectus incrementum quoddam erat partium, ita tamẽ, vt ipsa partis essentia ab omni noxa videretur immunis. Sic testiculos quoque & mammas, alijs

vtros-

vtrosque, [illegible]is alterum duntaxat, immodicè inc[illegible] compertum habemus. Ad hoc gen[illegible] [illegible]net & struma, vt vocant, quippe quæ [illegible]moderatius aucta, non parum functioni incommodat. Similiter oculorum quoque anguli, vbi à iusto modo recesserint, siue immodicè fuerint aucti: siue diminuti. Græci alterum encanthida, alterum rhœada appellant. Atque huiusmodi sunt in hoc genere differentiæ morborum.

Differentiæ morborum prouenietium ex constructione indecenti & euariante ab habitu naturali.

CAP. X.

CAeterùm cõpositione à naturali habitu aberrante, morbi nascuntur: in positu quidem, vt sunt articulorum tum luxatio, tum commotio, item si vel intestinum, vel omentum in scrotum deuoluitur: hoc epiplocele, illud enterocele. Græcis nominatur. Vbi vero vicinarum partium inter sese consensus à naturali ordine recesserit, vt si ligamentum vel laxum vel intentũ vel abruptum fuerit, impediet in ea parte motum articulis debitũ. Huius generis sunt linguæ, pudendorũq; immodica vincula: quippe quæ linguã in loquẽ-

di mandendiq́; functione impe[illegible]iunt: pudenda verò ob auersum me[illegible]ohibẽt, quò minus semen genitale [illegible] rectoq́; incessu in fœminæ vterũ iniicere possint. Eiusdem notæ sunt labia, palpebrę, digiti, sedes, atque aliæ huiusmodi partes, quum ob vlcus pręter naturam coalescũt. Atque hoc pacto colligere oportet morborũ species, quæ à compositione proueniunt.

Differentiæ morborum ex soluta vnitate crientium, eorumque in variis partibus varia nomenclatura. CAP. XI.

IAm ad reliquum, idq́; quintum genus morborum transeamus, nẽpe vnitatis solutionem, siue illa simplicibus, quæ similares vocantur, partibus adueniat, siue compositis, quippe cuius paulo antè inter cõmunes vtrisque partibus morbos mentionem iam fecimus. Quum enim vel ligamentum vel arteria diuellitur, & totius instrumẽti, & ipsius diuulsæ partis, cõmune erit pathema: nã vtriusq; soluitur vnitas: totius quidẽ, quia partes neq; sibi inuicẽ cohærent, neq; in vnũ redigũtur: partis vero diuulsæ, quia nõ manet vna, quippe quæ in duas dissecta sit. Quod si non tota sed pars eius aliqua fuerit diuulsa: tũ affectus hic, nõ totius instrumenti morbus est (nisi ex accidẽte, ꝙ pars eius aliqua fuerit

affe-

ffectā)sed ad affectam duntaxat partem
ropriè insigniterque pertinere videtur.
orrò cōtinui solutio, in osse quidem fra-
tura nominatur, in carne verò cōmuni-
er vlcus. Ruptura verò & conuulsio ab
odem genere manant, nisi quòd hęc ner
is, illa verò carni tribuitur. Diuelluntur
utem neruorum fibræ, aut sub violenta
liqua attritione, aut vbi derepente affa-
mq; intēdūtur. Atque ἀποσπάσματα id
t auulsiones, vocantur, instrumentorum
ūtaxat sunt pathemata. Habes iā omnes
mpliciū morborū differentias: cōsequēs
t vt cōpositos quoq; persequamur à si-
ilaribus rursum corporibus incipientes.

Absoluta morborū simplicium tractatione compositorū differentias aggreditur, quas tradit in partibus similaribus, etiam ex vtriusque sectæ placitis. CAP. XII.

Igitur qui priorem hypothesin sequuntur, morbum quendam statuūt ex mea ium laxitate constipationeq; cōpositū: on quod singuli particulatim meatus trunque sustineant, sed vicissim alij con-ipentur, alij dilatentur: ita tamen vt vtrū agis accuses, latitudinē an cōstipationē eatuū in toto similari corpore haudqua ā inuenias, neq; etiā sumere queas sen-ilem eius partem, cui alterum dūtaxat

adſit, ſed quancunque ſumpſeris, ſemper tota ab vtriſq; afficietur. Alterius verò hypotheſis autores, ſolis qualitatib' à naturali habitu aberrantibus, per ſingula corpora ſimiliaria quatuor compoſitos morbos dinumerãt, calidum ſimul & ſiccum, calidum ſimul & humidũ, frigidũ ſimul & ſiccum, frigidum ſimul & humidũ. Affluente autem ipſis eſſentia quapiam, itidem quatuor aliì ex qualitatib' eodẽ modo coniugatis, naſcentur morbi. Quia verò continui ſolutio non ſolùm inſtrumentis, ſed ſimplicibus quoq; corporibus accidere ſolet, idcirco connectitur ipſa nonnunquam iam dictis, iuxta vtriuſq; ſectæ ſententiam, morbis compoſitis, neq; non ſimplicibus quoq; quos ſtatim in huius operis initio deſcripſimus. Quippe fieri poteſt vt pars aliqua ſuſtineat vlcus, & ſimul vel ſiccitate, vel humiditate, vel frigore, vel calore, præter naturam afficiatur: aut etiã vnà cum vlcere, ſimul & calore & humore infeſtetur. Igitur partes quas ſimul & vlcus & phlegmone afficiunt, trifariã, à naturali habitu recedũt: etenim ob vlc', partium ſuarũ vnitatẽ amittũt: ob phlegmonen verò naturali ſua temperie calidiores fiunt & humidiores. Deniq; tumor in ipſis, ſi ad tãtam magnitudinem attol-

la

latur,vt ob hanc ipſam functio impediatur,morbus cenſeri debet:alioqui vel ſymptoma vel pathema duntaxat, quēadmodum & dolor. Igitur quæcunque pars vnà cum phlegmone vlcere quoque infeſtatur , eam triplici morbo affici neceſſe eſt, quamuis nonnunquam quatuor ſuſtinere poſsit. Porrò phlegmonen in pręſentia nō nominamus pro veteri more, partium veluti inflammationem, ſed rubentem renitentemq́ue tumorem, & qui dolorem inferat. Atque itidem in eryſipelate nonnū-quā vſu venit. Anthraces, id eſt, carbones aliter conſiſtere haudquaquam poſſunt. Herpetes & cācri in his mediam naturam obtinent, nam magna ex parte vlceribus coniunguntur, interdum ſine his conſiſtere videntur. Atque huiuſmodi morbi compoſiti ſunt , vel nullo comitante vlcere. Principio quòd omnes ex abundante naſcuntur humore. Eryſipelas à flaua bile: Cancer ab atra bile: Phlegmone à ſanguine: Oedema à pituita. Deinde quòd omnes iam dicti humores quanquam ſecundum ſpeciem ſunt humidi, potentia tamē non omnes humidi ſunt. Nam atra bilis ſicca & frigida eſt: flaua bilis ſicca eſt, & calida: pituita humida & frigida: ſanguis humidus & calidus eſt. Poſtremo quòd

omnes hi morbi ſibi inuicem implectuntur, neque facilè aliquis eorum ſyncerus inuenitur. Nã phlegmone magna ex parte miſcetur aliquid, quod vel eryſipelatis, vel œdematis, aut ſcirrhi naturam ſeruet: Eryſipelati autem, quod phlegmones aut œdematis, aut ſcirrhi ſpeciem referat, ita ſimiliter in reliquis omnibus perpende. Itaq; multiformis eſt omnium huiuſmodi morborũ cõpoſitio. Dicemus autẽ de ipſis copioſiùs in libro quem de morborũ cauſis inſtituimus, atque in eo qui illum ſequitur de ſymptomatis, neque non in tractatu de medendi methodo, cuius gratia hos commentarios omnes conſcripſimus.

Differentiæ compoſitorum morborum partium organicarum.

CAP. XIII.

POſtquàm compoſitionis modum in ſimplicibus iam ſatis diximus, ad inſtrumentorum morbos tranſeamus, oſtendentes quomodo ipſi quoque inter ſe connectantur, ſi prius admonuerimus, eius quod ab initio dictum eſt, nempe quòd alij ſunt primorum ſimilariumque corporum morbi, alij verò inſtrumentorũ compoſitorũq;: etenim phlegmone ad prima corpora, Luxatio verò ad inſtrumẽta pertinet. Quum itaque membrum aliquod

ſimul

mul &luxatur,&phlegmone afficitur:lu
atio quidem totius instrumenti primo
orbus est:Phlegmone autem neque pri-
o,neque propriè sed per accidens. Quia
nim phlegmone singularum ipsius par-
um morbus est, erit vtique totius quo-
ue instrumenti morbus:sed per accidẽs.
Ita de oculis et iam &lippitudine dicen-
um est.) Est enim lippitudo membra-
æ quæ ceratoidi tunicæ adhæret phleg-
one, quamuis ex accidenti oculi mor-
us esse videatur. Atque euenit nonnun-
uam ceratoide tunica altum habente vl-
us, vt ipsa tota excisa, procidat aliquid
x tunica, quæ sub ea ponitur, rhagoi-
es Græcis appellata,& distorqueatur pu
illa. Horum trium affectuum quilibet
culi pathema putatur,quamuis, & vlcus
erosio,ad solam ceratoidem pertineant,
psus ad rhagoidem, & distortio ad pu-
illam. Sed vt nuper dictum est, simila-
um corporum morbi ex accidente, ad
otum instrumentum referuntur. Quod
vnum quodlibet ex ipsis compositus
orbus infestauerit, is quoque ex acci-
enti ad totum instrumentum pertine-
it. Atque vbi complures partes sunt affe-
æ,ita vt singulæ singulos sustineant mor
os,tum sic quoque totum instrumẽtum
com

Hæc non sunt in græ. neque addenda erant.

cōposito morbo laborare putabimus. Igitur fac esse, si ita sors tulerit, vt id in oculo eueniat (Neque enim impossibilis est hypothesis) nempe pterygion, id est vnguis, & lippitudo, & erosio ceratoidis, & † exitus rhagoidis, incipiensque apparere suffusio: hic non esse vnum duntaxat & simplicem morbum, id verò latere potest neminem. At nō deerit quispiam, qui omnes huiusmodi affectus, compositū oculi morbum vocabit: alius verò non vnum compositū, sed plures dicet esse in oculo morbos, in diuersis ipsius partibus consistentes. Verùm ob hoc haudquaquam variabitur medendi indicatio, cuius gratia omnes huiusmodi questiones tractamus, siue vnus fuerit compositus morbus, siue plures pugnātibus remediis indigētes. Sed de his in opere de medendi methodo amplius disserem⁹. At hoc in loco satis fuerit ostendisse probabilem vtrosq; fouere sententiam, tum eos qui plures esse morbos in oculo arbitrātur, tum eos qui, vt vnum est instrumentum affectum, ita vnum quoq; morbum esse autumant: compositum verò quando, vt dictum est, plures sint in ipso partes affectę. Igitur quemadmodum simplicium morborum, alius quidem primo, totius instrumēti morbus erat, veluti suf-

† Πρόπτωσις.

fus

fusio, alius verò ex accidente, vt vlcus in ceratoide: ita compositorū quoque morborum alij propriè ad totum instrumentum referuntur, nempe qui cōplures eius particulas simul infestant: alij verò per accidens, qui in vna quapiam ipsius particula consistunt morbi compositi, vt lippitudo, quæ inhærentis membranæ phlegmone est: quippe phlegmonen compositum affectum esse, iam demonstratum est. Quòd si præterea vlcus in membrana suboriatur, sic profectò multò magis compositum morbum particula ipsa sustinebit: at nihilominus totus ipse oculus composito morbo laborare dicēdus est. atque huiusmodi sunt, qui ex accidenti ad totū referuntur instrumentum morbi compositi. At vero ij per quos eodem tempore multæ partes afficiuntur, ipsorum instrumentorum primo compositi morbi sunt, præsertim si particulatim quiuis simplicium, non ex accidenti, sed primo totius instrumenti morbus fuerit, vt in oculo pterygion, id est vnguis, suffusio, rhoeas. Horum quilibet proprius est oculi morb': at quum simul omnia concurrunt, compositum, propriumque oculi morbum constituunt. Igitur si hac via & ratione processeris, facile omnes compositos instrumentor

tor

torum morbos deprehendes: nam omnes & persequi & componere, superuacaneum mihi videtur. Si enim simplices morbos omnes cognoueris, deinde quo pacto inter sese cōponantur didiceris: satis idoneus eris qui in reliquis particulatim te exerceas. Proinde si semel dūtaxat ea quæ in hoc opere conscripsimus, perlegeris, nihil vtilitatis reportabis, nisi exacta diligētia crebro in ipsis te exercere studueris.



CL. GALENI DE MORBORVM CAVSIS, LIBER SECVNDVS.

*

GVLIELMO COPO INTERPRETE.

Breuiter repetens quæ priore libro sunt tradita, inuestigat ex Hipp. sententia morborum causas, qua methodo prius eorum differentias inuenit.

CAPVT. I.



MNES iam morbos quot qualesque sint, & specie & genere discriminatos, tum simplices, tum compositos superiore volumine declarauimus. Consequens est vt singulorum causas persequamur, sumpto initio ab ijs animantis partibus, quæ & simplices & similares nominantur: mox ad compositas, & instrumentarias rursus transibimus. Posteaquam igitur demonstra-

ſtratum eſt (ſi eorum ſentẽtiam ſequimur qui ſubſtantiam generationi corruptelæque obnoxiam in vnũ redigi, alterarique arbitrantur) omnem ſimilaris ſimplicisq; ad ſenſum corporis morbum, vel intemperiem quandam eſſe, vel partium quæ inter ſeſe cohęrere debent diuiſionem: aut (ſi alterius ſectæ placita recipimus, quæ partes nõ in vnum coaleſcere, ſed vacuum quoddam ſpatium in omni corporis concretione intextum putat) meatuũ ametriam, id eſt à iuſto modo declinationem, aut partium quæ ſibi inuicem ad ſenſum cohærere debebant ſolutionem. Incipiamus igitur nunc ſingulorum morborum cauſas conſiderare prioris ſectæ hypotheſi, quam veram eſſe credimus, innitentes. Erant autem, ni fallor, quatuor ſimplices morbi, & quatuor compoſiti, increſcẽte nimirum immodicè vel calore duntaxat, vel frigore: aut in altera oppoſitione vel ſiccitate, vel humiditate. Accidit vero nonnunquam vt coniugatæ ſimul qualitates augeantur, oriaturq; morbus, vel calidus ſimul & ſiccus, vel frigidus & ſiccus, vel calidus & humidus, vel frigidus & humidus.

Docet cauſas morborum calidorum partis ſimilaris eſſe motum, putredinem, conſti-

pa-

pationē vicinā rei calidioris ac calidā & acrē materiā hasq; singulas morbū excitare, si multæ sint, fortes, diuturnæ, et corpus propinquū accēdique idoneū: tādē addit quæ sint causæ precedētes, & quæ procatarctica.

CAPVT II.

VIdeamus itaq; à quibus causis singuli dictorum morborum nascantur, incipientes ab eo morbo, qui in immodici caloris intemperie cōsistit, atque reliqua corpora omnia, quę plus satis incalescunt, ita vidētur affici, vel ob motum aliquem aucto calore, vel ob putredinem, vel quia calidiori cuipiam corpori vicina sunt, vel quia constipantur, vel quia cibum sumūt qui suapte natura calorem excitare possit. De motu satis apparet, tum in his qui exercitantur, tum in lapidibus aut lignis, quum inter se mutuò confricantur, & deniq; in flamma ventilata. Ex putredine calefiunt, tum corpora reliqua omnia, tum maximè semina, aut stercora. Equidem vidi columbarū stercora ob putredinem accensa arsisse. Quòd verò ob calidiorū vicinitatē proxima quęq; corpora calescát, satis patere puto ijs, qui balnearū, solis æstiui, & flammæ cuiuslibet, vim fuerint experti. Iam si brumæ tēpore succendas ignē in amplo cubiculo, oblinens omnia ipsius

ſpiramenta, vehementem colliges ibi calorem: at niſi ſpiramenta claudas: nihil ſanè profeceris. Atque eandẽ ob cauſam & balneæ, & camini, adaucto interno calore æſtuant. Ex quibus ſatis patet, conſtipationem nonnunquam adaucti caloris cauſam eſſe. Quòd materia autem augere calorem poſsit, vel hoc argumento planè intelliges: nam ſtipulæ aridæ facilè maximam flammam præbent, cui ſi lignorum viridium magnum cumulum inieceris, inprimis quidem aliquandiu flammam, tũ grauant, tum ſuffocant, tandem verò eam augere videntur. Sed quo pacto perficiuntur hæc in animantis corpore? Certè ſi ab exercitatione quiſpiam fuerit fatigatus, is immodicum ſuſtinere calorẽ dicetur, maiorem inquam, quàm pro naturali habitu tum in muſculis, tum in articulis, quippe ad hos in primis mouendi munus pertinet: quod ſi calor non vltra progrediatur, ſed priuſquam per totum animantis corpus fuerit ſparſus, ſoluatur affectus ita genitus, laſsitudo duntaxat fuerit: ſi verò in totum extendatur corpus, morbus ipſe febris nominari debet: quippe quæ totius animantis calor immodicus eſt. Itidem ira quoque, quæ caloris, qui circa cor eſt, feruor quidam eſt, idque ob immodicum motum.

tum: atque hic interdum per totũ corpus dispersus febrim accẽdit. Iam ea quæ putrescunt in animantis corpore, calorem quendam immodicum in ijs partibus in quibus putrẽt efficere possunt: id quod in erysipelate, herpete, carbũculo, phlegmone & phygethlo facilè videre est. Si verò simul vniuersum corpus calfaciãt, febrim quoque excitant. Porrò quonã pacto tertia causa in animantibus immodicum calorem excitet, ex iam dictis satis manifestum arbitror, atque ex ijs quoque, quas † ambustiones vocant. Quippe in bubone, phlegmone, erysipelate, & omnibus adeò calidis morbis, pars ipsis proxima continuaque in primis calore afficitur, quem deinde vicinæ parti tradit. Atque hæc rursus illi quæ ipsam sequitur: ita perueniente intemperie ad fontem insiti caloris, nõ ita multò post totum corpus principij pathema percipit. Cæterum qui in apricis diu morantur locis: si nudi sunt, tota interdum cutis calidior redditur: si vero vestiti, caput duntaxat afficitur calore: atq; hic affectus † ambustio vocatur: calor vero totum corpus occupans, febris est. Quartum genus eorum quæ insitũ calorem accẽdere possunt, in constipatione consistit. Nam si immodico algore quispiam

† ἐγκαύσεων, id est exustiones.

† ἔγκαυσις.

correptus fuerit, aut in aqua quæ vel aluminis naturam vel aliã huiuſmodi facultatẽ ſeruet, natauerit, conſtipabitur denſiorq́ue reddetur cutis. Atque ſic vapores, quo minus tranſpirẽt, prohibẽtur. Quod ſi forte fortuna † fuliginis ſpeciem referant, ea quæ ibi cumulata ſunt, febrim ſuccendunt. Inter illa quæ immodicum calorem inducere poſſunt, quintum locum obtinent, alimentorum qualitates acres & calidæ: eiuſmodi ſunt allia, porri, cepę, & reliqua id genus: nam qui iis immodicè vtuntur, febre nonnunquam laborant. Eiuſdem generis ſunt potiones calidæ, vt vinum vetus & acre, ſi imbecillo corpori liberalius ingeratur. Item medicamenta acria, qualia ſunt & amuleta, & venena: quippe quæ febrim excitare poſſunt. Cur igitur non ſemper, inquiunt, ob quamlibet dictarum cauſarum ſuccenditur febris? Tum quia affectricis cauſæ quantitas inæqualis eſt, tum etiam quia affectus, quem ipſa corpori infert, magnam in maioris minoriſq; ratione ſuſcipit differentiam: prætcrea animantium corpora, alia aliis longè ſunt vel promptiora, vel contumaciora, ad hoc vt à naturali habitu deflectant. Igitur vt non dubitas, quamobrẽ nõ quiuis motus laſsitudinẽ inducat, quippe

† ϲῦϲάι καπνώδεις, id eſt fumidi exiſtant.

pe q planè intelligis,neq; musculos neq; articulos vnquã fatigari nisi ipsorũ natura à multo & forti motu vincatur: ita perpẽdere oportebat,nisi lassitudo tũ magnitudinem,tũ moram notatu dignã habuerit,eã totũ corpus vitiare nõ posse.Exigu' motus lassitudinem efficere non potest, num exigua lassitudo succendet febrim? aut motus efficiendi vim ad aliquid relatam habebit,lassitudo nõ habebit? Quod vero Athletarum corpora vehemẽtes motus diu citra fatigationem sustinere possunt,& nos priuati, si paulo vltra consuetudinem laborauerimus,ęgrè feramus,nemo adeo rudis est,quin ĩtelligat, proinde nihil mirum videri debet, si fatigatus aliquis haudquaquã febricitauerit: aut eñ leuis fuit labor, aut non ita diu durauit, aut minor quàm pro corporis robore, vel etiam si exercitatio ipsa breuis fuit & remissa atque imbecillior quàm pro exercitata natura, (non vtique lassitudinem efficiet: lassitudo vero febrem accendet etiam si exigua fuerit, & paruo perduret tempore,aut leuior patientis corporis robore existat?) Id vero in igne, re omnium efficacissima,videre est:neque enim refrigeratos calfacere potest,nisi & tempus habeat,& robur:etenim redeuntes aliquãdo

Hæc omisit interpres, quæ quidẽ habentur in Græc. codici. tum manuscriptis, tum etiam impressis.

ab aëre gelido, indolenter per maximam flammam ducimus manus: neque etiam quamlibet materiam illico accendit, nam stipulæ aridę primo protinus occursu accenduntur: at ligna humida, viridiaque vt accendantur, longiori tempore, fortioreque flamma indigent. Atqui quum nihil horum in igne mirum tibi videatur, miraris tamē, vt lassitudo inducatur, opus esse & magnitudine, & tempore, & corpore, quod facilè queat accēdi. Verū satius fuerit te ob huiusmodi res nihil mirari, sed quænam animantium corpora suapte natura facilè, quæ vero nō ita facilè calfieri possint, considerare. Sed de ijs posthac audies: in pręsentia autem haudquaquā mirabile tibi videatur, si quod facturū quippiam est, indiget & tempore & magnitudine: præterea vt proxima sit ei res, quæ suapte natura promptè affici possit. Sine his ne ignis quidem quicquā accendere, nec gladius secare potest: neq; aliud quippiam vel efficacissimum agit, si vel res in quam agendum erat, sit illo validior, vel non suppetat tempus notatu dignū. Neque enim lucernæ flammā cōfertim perfundes oleo, nedum aqua: neq; gladio lapides secabis, tantum abest vt adamātem aggrediaris: tamen laborem, calorem, &

frigus,

frigus, & reliqua id genus semper febrem posse accendere putabis? etiam si exigua fuerint, & pauco immorentur tempore, si ue vniuersum quoque corpus ad suscipiē-dum calorē ineptum sit. Quod enim jam calidū est, magis pronum est vt immodicè calescat, quemadmodum frigidum, vt refrigeretur immoderatiùs. Quod vero econtrario se habet, ineptum est: adeo stupida rudisque est eorum, qui huiusmodi scrutantur, quæstio. Sūt vero alij nihil dubitātes, qui promptè proterueque pronū-ciant, nihil eorum, quæ iā dicta sunt, vnquàm posse febrim excitare. Horū stupiditas quidem miserationem, cōtentio vero odium meretur. Verum huiusmodi sophismata soluta sūt in eo volumine, quod causis procatarcticis, id est euidentibus separatim dicauimus: neque nūc errores cō-futare, sed vera duntaxat docere instituimus. Redeamus igitur ad id quod propositūm nobis erat, nempe vt singulorū simplicium morborū causas explicemus, tum præcedentes, tū procatarcticas, id est euidentes: neque enim fuerit absurdum dilucidioris doctrinæ gratia, eas huiusmodi nominibus distinguere. Eas igitur quę in animali ipso consistunt, siue affectus sint, siue motiones præter naturam, causas

nominant morbum præcedẽtes. Quæ vero extrinsecus aduenient, si vehementer alterant, immutantque corpora, eas interim procatarchontas, interim procatarcticas causas appellant.

Ostendit exemplis aptissimis causas morborũ frigidorũ partis similaris esse motũ immodicũ, otium, raritatem & densitatẽ totius vel partis, contactum rei frigidæ ac materiam frigidam sumptam vel admotam, quibus singulis calor natiuus extingui potest.

CAP. III.

CAlidi morbi causas in vniuersum diximus: trãseamus itaque ad frigidũ, cuius multæ sunt numero causæ, vt frigidorum vicinitas cibi potusque tum quantitas, tum qualitas: item constipatio & raritas; præterea & otiũ & motus immodicus. Quippe ab huiusmodi occasionibus, ignis quoque extinguitur. Nã si exiguæ prunæ niuem plurimam, aut glaciem adhibeas, aut frigidã aquã infundas, ipsam illico extingues. Item si aër nos ambiens summo frigore afficiatur, quale potissimum apud Istrũ horis brumalibus grassari solet, videbis non solùm lucernã sub dio expositam, verùm etiam omnẽ ignem exiguum protinus extingui: atque sic vincit

cit ignem rerum pręfrigidarum vicinitas. Alimentorũ autẽ ipsius vel abundantia, vel defectus, aut aliena qualitas, ad hunc illi modum officit: magna quidem lignorum strues, si confertim exiguæ flammæ iniiciatur, ob immodicæ quãtitatis excessum, eã suffocabit. At si nulla penitus, aut pauca admodũ ligna suppeditaueris, tabescere flammam videbis, idque ob alimẽti vel defectũ, vel paucitatẽ. Sic lucernę flãmam & minui, & ferè extingui videmus, vbi propriũ ipsius alimentũ à iusto modo aberrauerit: siue enim nimis parcè oleum adhibeas, siue affatim plurimũ infundas, noxam non vitabis. At si liberaliter quidẽ materiã adhibueris, sed quę suapte natura vel accendi non posit, vel vix accẽdatur, illico minorem reddes flammã, vt si oleũ aquæ mixtum, in ignem effundas. Porro autem si aërem qui flammam circundat incluseris, ac immodicè rarum effeceris, videbis flammam & diminui, & penè extingui. Atqui clauditur vel sub medica cucurbitula, vel vaporatorio cubiculo, vel alio quopiã id genus instrumẽto, vel etiã camino, si ipsius foramina obstruxeris. Quod si in loco aprico sole vehementer æstuante ignẽ accẽdas, vel fortiori ipsum flamma circundes, videbis tum imbecillio

rem flammā tabescere: quippe quæ ab externa flamma, vtpote fortiore, & laxior fit & vehementer dissipatur. Neque non perspicuū est, si eā ventilaueris, hoc est moueris, augebis: si quidem modicè id feceris: nam immodica vētilatio dissoluit, dissipatque. Ita ventos, à quibus vsus aliquis expectatur, oportet flammæ semper proportione respondere: nam maiores quàm pro ipsius ratione, ipsam discutiunt, non ventilant. Hinc manifestum est flammam aduētitio motu indigere, vt increscat, modo is non sit immodicus. Nam quæ omnino non ventilatur, tabescit. Quę verò ab externo motu immoderatius irruēte agitatur, ea & dissipatur & discutitur. Igitur primæ causæ species frigidū morbum inducet, si frigida res, quæcūque illa fuerit, extrinsecus acciderit, siue solo cōtactu, siue potentia id efficiat. Sic natātes in aqua frigida, aut infeliciter loti, aut per loca frigida ambulantes periculū subierunt: quippe nouimus quosdam, qui priusquam domum reuerterentur extincti sunt. Ob eā verò, quā secundo loco diximus, causam, nonnulli apoplexia, aut morbo comitiali laborauerunt, aut sensus motionisq; incōmodū subierunt, aut alio quopiam pacto refrigerati sunt, idq; ob ebrietatem: quan

uis

uis vinũ, ſi modicè ſumatur, intimũ calorẽ augere poſsit, quippe qđ ſit alimẽtũ maximè familiare. Itidẽ optimi ſucci cib', & qui plurimũ alimẽti prębere poteſt, ſi animanti immoderatius ingeratur, frigidos morbos excitabit. Præterea tum cibi, tum potiones ſuapte natura frigidiores, ipſi quoq; inter frigidorũ morborũ cauſas numerãtur: cuiuſmodi sũt papauer, mãdragora, hyoſcyamum, cicuta, atque ij pręnimio frigore mortẽ quoque inducunt. Cęterũ maxima cõſtipatio, (hãc enim in tertio cauſarũ, quæ frigidos morbos pariũt, ordine ſtatuim',) & graues ſopores, & veternũ, & apoplexiã afferre ſolet. Atq; hoc eſt quod Hippocrates ait: Si de repẽte quis obmutuerit, venarum interceptiones, corpori moleſtiã inferũt. Vtraque ſanguinis vaſa, quẽadmodum & maiores, venas nominãs: quanquã recẽtiores alterũ dũtaxat gen' nẽpe id quod nõ pulſat, venas appellãt: quãdoquidẽ arteriæ quoque in animãte intercipiuntur, id eſt adeò implẽtur sãguine, vt nullũ in ipſis ſuperſit vacuũ ſpatium, in quod inter dilatandum externũ aërem illicere queãt: atque ob id intimus calor tũ præfocatur extinguiturq;, & eorum, qui ſic afficiuntur corpora, ſubito mouendi ſentiendiq; viribus priuantur. Iam

lib. 5. apho. 5.

Iam in libro de pulſuum vſu demonſtraui mus, ideo pulſare arterias, vt ſeruetur in omnibus animantis partibus caloris tem peries. Item in opere de vſu reſpirationis, quod ipſa quoque caloris, qui in corde cõ tinetur, ſeruat temperiẽ. Igitur quemadmodũ externa flãma illico perit, ſi ambiẽs aër arceatur, quo minus illi cõmunicet, vt quum in vaporatorio cubiculo, aut cucurbitula, aut in alio huiuſmodi vaſe includitur: ita animantis quoque calor ocyſ ſimè peribit, ſi ipſum cohibeas ac includas, vt nullam poſsit cum circunfuſo aëre habere communicationem. Igitur cordis calor ambienti nos aëri per gutturis meatum communicat: hũc ſi occluſeris, illico præfocabis, interimeſque animantem. At calor qui per vniuerſum corpus in arteriis continetur, tum per cor ipſum, quatenus faucibus communicat, tum per vniuerſam cutem in ambientem nos aërem reſpirat: ac ventilatur quidem quũ attolluntur arteriæ, purgatur verò à fuligine, quum contrahuntur. Atqui vtroque horũ naturalis ipſius modus conſeruatur. Nã quum arteriæ cõſtipantur, aut à plurimo ſanguine vt nuper diximus, aut obſtructis earum oſculis, vt haudquaquam trãſpirare poſsint: neceſſe eſſe calorem quidem ex

tingui,

tingui,corpus verò ipſum emori. Quòd ſi modica fuerit conſtipatio, natiuus calor ob ipſam non neceſſariò afficietur. Quũ-que in animantis corpore veluti fuligino ſa quædam,aut fumoſa excrementa cõti-nentur: tum aliud natiui caloris pathema conſiſtet,aliud verò ſi vaporis ſuauis vti-liſque naturam referant. Horũ verò vtrũ-que bifariam diſcriminatur: etenim opti-mus in corpore ſanguis, nullius vitioſi ex crementi pexmixtione turbatus,quum ca lefactus eſt,vaporem reddit optimũ, qui nihil ſecum ferat neque igneum neque a-cre:huiuſmodi corpus ſi modicè conſtipe-tur,breui vel plethoricum, id eſt oppletũ vel calidius quã pro naturali habitu red-detur:plethoricũ quidem quum per igna uiam exercitationem neglexerit:ita enim retinentur in corpore ea,quę per motum excerni oportebat. Calidius verò,'quum exercitatur,vt pote aucto ad motũ nati-uo calore, qui ob corporis conſtipationẽ non tranſpirat. At ſi corpus fumoſo excre mento refertum,conſtipetur, tum aut fe-bris excitabitur ob clauſum intus fuligi-noſum vaporem,aut præfocabitur extin-gueturque calor natiuus. Atque vtrũque horum conſequitur & excrementi multi-tudinem,& conſtipationis fortitudinem;

quippe si plurimum fuerit fumidũ excrementũ, quod indigebat vacuatiõe, & cõstipatio vehemens, ne sub excremẽto præfocetur, extinguaturque insit' calor, periculum est: si verò paucũ sit excrementum, & non ita vehemens cõstipatio, febris accendetur. Atque hinc perspicuũ est, quòd & naturales & aduentitios corporis affectus, per quos vel fuliginosum, vel fumidum, vel vapore refertum sit id quod trãspirat, nosse oportet: sed hęc in tractatu de medendi methodo persequemur, nunc ad institutũ reddeamus. Igitur vt cõstipatio refrigerationis subinde causa est, veluti iã diximus: ita † raritas quoque, si modũ non seruat, discutiendo dissipãdoque natiuũ calorẽ corpus frigidius reddit. Atque hæc nempe constipatio, raritudoque, interim in vniuerso animali, interim in singulis partibus similiter euenire possunt. Etenim per arteriarum tum obstructionem, tum plenitudinẽ, si qualis fuerit totius corporis affectus, talis sit in parte quapiam; ob arterias in ipsa sola affectas, necesse erit partem, itidem vt totũ morbo laborare. Atque ea quæ extrinsecus adhibẽtur tum medicamenta, tum aquæ medica vi præditæ, ac frigidę, item aër nos ambiẽs, partem ipsam immodicè vel raram vel con-

In Aldino mẽdose legitur pro μάνωτις μένωτις.

stipatam

ſtipatam reddere poſſunt, præterea vincu la nonnunquam violenter vel ipſi particu læ iniecta, vel ſuperioribus circunligata, & vita partem priuant, & eam refrigerãt: quippe quæ eam priuant ea communicatione, qua principi animalis parti conſentit, quæ & natiuum illi calorem & facultatem arterias mouentem tranſmittit.

Cauſæ ſiccorum morborum partis ſimilaris,

CAP. IIII.

DE morbis itaque tum calidis tum frigidis, ſatis dictum eſt: de ſiccis deinceps diſſeramus, Igitur ſi aliquis plurimũ quidem trãſpiret, ſed parcè nutricetur, idq́ue alimentis quibus ſiccandi facultas eſt: is facilè ad ſiccum morbum perducetur, idq́ue maximè ſi ſollicitudine, vigilijsq; torqueatur. Itidem aëris nos ambientis ſiccę conſtitutiones animantium corpora aridiora reddere ſolẽt, Sic etiam aquæ vel nitri, vel ſulphuris, vel aluminis, vel bituminis, aut alterius id genus qualitatis naturam ſeruantes, ſi quis in ipſis natauerit: item medicamenta quæ exiccandi habent potentiam, ſiue deuorentur ad interna, ſiue extrinſecus adhibeantur, ipſa quoque exiccant. Atqui de his amplius dictum eſt in opere de medicamentis.

Cauſæ

Causa morborum humidorum partis similaris.

CAP. V.

HAec quidem sunt siccorum morborũ causæ. Quibus humidorum morborum causæ omnes econtrario opponuntur: vt sunt alimentorũ quibus humectandi vis est, copia: potus plurimus, mollis educatio, animi tranquillitas, crebra in balneis dulcium aquarum cõuersatio, pręsertim à cibo, vita ociosa & ignaua, imbres plurimi, temporum cõstitutio humida, & medicamenta quæ humectare possunt.

Tradit causas morborũ compositorum partis similaris, explicatq́ quã rõne natura excremẽta in corpore redundãtia transmittat in partes imbecilliores.

CAP. VI.

IAm satis manifestum arbitror compositorum morborum, compositas quoq; causas esse. Quippe si calida causa simul cum sicca conueniat, calidum simul & siccum morbum oriri necesse est, si calida & humida, calidus quoque & humidus prodibit morbus. Ita in reliquis quoque duabus cõiugationibus perpende, nempe frigida & humida, ac frigida & sicca. Cæterùm dicamus & id quoque, quod ad hunc

ser

ſermonem neceſſario addi, ac definiri oportet, nempe quod corpus ſubinde alteratur, omnibus cauſis conformi inter ſeſe concordia conuenientibus, ſubinde verò ob contrarias facultates inter ſeſe diſcrepantibus. Atque interim vincunt illæ quę ſunt vel numero plures, vel tempore diuturniores, vel robore potẽtiores: Interim ab vtriſque ex æquo corpus noxam ſuſcipit. Accidit autem, licet fieri non poſſe videatur, vt idem corpus ſimul & calidius & frigidius, aut ſimul & humidius & ſiccius, quàm pro naturali habitu, reddatur: vocatur autem hæc intemperies inæqualis, idque non ab re: de qua ſeparatim in alio volumine, prout res ipſa expoſtulabat, diſſeruimus: verùm non eſt nobis in his diuti' immorandum. Properemus igitur ad reliqua morborum genera, ipſorũ cauſas tractaturi, ſi prius admonuerimus eorũ quæ in libro de morborum differentia iam dicta ſunt, quòd corpora interdum à naturali habitu recedunt, lapſis duntaxat quatuor qualitatibus, nulla alia extrinſecus affluẽte ſubſtantia: Interdum verò fluxione implentur, humida illa quidem omnino ſi ſpeciem: non humida verò, ſi potentiam ipſius conſideres. De hac potẽtia veteres tum medici tum philoſophi diſſe-

ruerunt: Ostendimus & nos ipsam cũ in aliis quibusdam commentariis, tum in iis quos de medicamentis conscripsimus. Dicemus verò & nunc ea quæ in præsentia nobis vtilitatem afferre posſint, nempe quòd flaua bilis poteſtate calida eſt & ſicca: Atra verò ſicca & frigida: Sanguis humidus & calidus: Pituita frigida & humida. Item quòd nonnunquã horum humorum ſinguli influunt ſynceri, nonnunquã ſibi inuicem mixti. Et quod partiũ, quæ vel œdemate, vel ſcirrho, vel phlegmone laborant, affectus, hanc ob cauſam plerũque varientur. Nam & carbunculus, & cancer, & herpes, & eryſipelas, & gangrena, & phygethlon, & phagedæna, & ſatyriaſis, hoc genere continentur. Præterea alphi, id eſt vitiligines, atheromata, achores, melicerides, ganglia, ſteatomata: morbi ſunt à fluxionibus orti. Differunt autẽ inter ſeſe tum hij, tum omnes alii quos prædiximus, quod alius ex pituita, alius ex ſanguine, alius ex flaua bile, alius ex atra, alius ex alio quodam humore, qui non omnino à naturali habitu deciderit, ortum habet. Verùm quiſquis fuerit huiuſmodi humor, omnino ad prædictorum generũ aliquod reducitur: fieri enim haudquaquam poteſt, vt neque ſit calidus & ſiccus,
neq;

neque calidus & humidus, neque frigidus & siccus, neq; frigidus & humidus. At quatenus admodum crassus est, ac frigidus, videtur quidē à naturalis pituitæ forma excidere, atque alius humor esse, tōto genere præter naturā. Sed huic opinioni veritas ipsa reclamat: nā quoad ei frigida, humidaque fuerit facultas, sub pituitæ continebitur genere. Eadem ratione quicunque siccus & calidus fuerit, ad bilis genus reducetur. Verùm de his aliàs amplius dictum est: quam ob rem in præsentia breuitati studebimus, de his omnib' copiosè in opere de medendi methodo disputaturi. Iam ad id quod propriè ad hanc tractationem pertinet redeamus. Igitur omnes eiusmodi morbi nascūtur, depellente semper natura id quod abundat in partes imbecilliores. Id quod complures ex maioribus nostris, licet iam antè dixerint, transmissionis tamen modum non declarauerūt. Atqui, naturā ratione præditā dicere videbimur, si ita simpliciter eam quicquid inutile est, ex robustis ad infirma depellere pronuntiauerimus. †Sed in morbis qui feliciter iudicantur, huiusmodi quandam facultatem haud obscurè deprehendimus.) Quis vero sit huius facultatis modus, maiores nostri non satis accuratè

† *Ex antiq. Cod. græ. ita legendum est: Sed quod in morbis, optimæ crises ab aliqua huiusmodi facultate fiant, illi haud obscurè deprehenderunt.*

explicauerunt, eo quòd neque potentias quidem naturales(quas nos in aliis commẽtariis persecuti sumus)adamussim demonstrare potuerunt,nimirum quot,qualésve sint,& quæ sint singularum munia. Verùm haud difficile fuerit de omnibus his differere,ei qui hypothesin quam in dictis commentariis præscripsimus,ad hunc vsum accommodauerit. Etenim quũ quatuor sint potentiæ quibus quælibet pars tum animalis,tum plantæ prædita est: nã alia familiare sibi alimẽtum attrahit, alia retinet,alia alterat,alia id quod redundat excernit:quum etiam duplex sit excremẽti genus,aut enim quãtitate offendit, aut qualitate:quum denique omnium corporis partium non æquale sit robur(quippe principes partes statim ab initio rerũ natura maiori robore dotauit) rationi consentaneum videtur, vt in corporibus impuris,& quæ excrementis abundant, aliquid defluat in partes imbecilliores. Quũ enim excrementum à robustiore quaque parte sic expellatur, vt nusquam cõsistere posit,in partem dilabitur omnium maximè imbecillam. At varia est huius partis ratio: aut enim illico quum formaretur animal,noxam subiit,aut postea læsa fuit, aut etiam suapte natura talis esse debuit,

vt cutis. Hæc enim quum nullius actionis, sed vsus duntaxat gratia sit creata, nõ ab re iis quæ functiones perficiunt, facta est imbecillior. Est enim veluti operculũ quoddam, ac natiuum animalis tegumentum: quippe quæ non coctionem, non cibi digestionem per corpus, non sanguinis generationem, non pulsum, non respirationem, non motum voluntarium, animali præbet: & vt summatim dicam, nullo penitus munere fungitur. Præterea quum sit omnium partium extrema, haudquaquam absurdum videri debet, quod vniuersi corporis suscipiat excrementa. Etenim natura protinus ab initio multa fabricata est instrumenta, quibus excrementa purgarentur: atque hæc sola ad bonam valetudinem seruandam abundè satis faciunt, vbi neque ex ambiente nos aëre animali noxa infertur, neque ob errorem in victus ratione totũ corpus immodicè excrementis redundat. Accidente autem huiusmodi aliquo peccato, tum naturalia instrumenta sola ad excrementi multitudinem expurgandã non sufficiunt: proinde fluxiones à potentioribus partibus depulsæ, in imbecilliores irruunt: atque euenit interdum, constipatis meatibus, per quos excerni consueuerant, vt ad partes

alias deriuentur. Ab huiuſmodi exordiis omnes iam dicti morbi naſcuntur: augetur vero vitium in membris, quum infixa ipſis excrementa putreſcũt, ac ita deteriora fiunt, quamobrem affluentem poſtea humorem, vel vtilem, ſimul corrumpunt.

Cauſas enumerat morborum partis organicæ, eorũ præſertim qui naſcuntur à vitiata cõformatione, cuius præcipua cauſa eſt figuræ à naturali habitu receſſus.

CAP. VII.

HActenus igitur ſimilarium corporũ proprios morbos explicauimus: reliquum eſt vt de inſtrumentorum quoque morbis diſſeramus, incipientes ab eo qui primus in genere eſt, ac in conformatione conſiſtit. Fit autem hic morbus, interdum figura à naturali habitu euariante: interdum vel aſperitate, vel lęuitate, vel meatu aliquo vitium ſubeunte. Cauſarum autẽ ob quas naturalis figura permutatur, vna eſt, ſi fœtus: quum adhuc in vtero clauſus eſt, malè conformatur, impedito naturali ſpermatis motu, vel ob materiæ multitudinem, vel nõ idoneam qualitatem. Altera cauſa eſt, ſi vel inter pariẽdum, vel dũ faſciis infans inuoluitur, committatur error. Quum enim nuper genitorum puellorum corpora mollia ſint, & propè dixerim

rim fluxibilia, facilè contorquentur, aut dum naſcuntur, ſi obſtetrices eos non rectè ſuſcipiunt, aut poſtea quàm nati ſunt, ineptè faſcijs inuoluunt: aut vbi nutrices, eos temere vel erigunt, vel reponunt, vel lac exhibent, vel lauant, vel faſcijs inuoluũt: in his omnibus niſi appoſitè quis eos tractauerit, ſingulorum membrorum naturalis figura & inuertitur & deprauatur. Præterea ſi poſtea in vniuerſum per reliquam educationem committitur error, vel ob immodicam plenitudinem, vel motum incompoſitum, vel vbi ante tempus ipſis ſtandi ambulandique permittitur libertas, itidem ſi vehementius moueãtur, multorum membrorũ figura diſtorqueri poteſt. Quippe plenitudo functionibus naturalibus officit, importunus verò & vehemens motus, aliorſum atque decet, mẽbra vertit, diſtrahitq́;. Siquidem crura ob incũbentiũ eis corporum pondus, interim in exteriorem, nonnunquam ad interiorẽ partem diſtorquentur, idque pro natiua ipſorum inclinatiõe. Nam, quibus rectiora ſunt quàm ordo naturæ expetat, ij magna parte vaciæ efficiuntur: quibus verò magis ſinuoſa, vari redduntur. Voco autẽ vaciam cui in exteriorem partẽ crus flectitur, varum autem ecõtrario. Atq; pectoris

membra ſubinde vitiantur, vbi in prima educatione nutrices extrinſec' ipſa ſupra modum ſtringunt:id quod apud nos prę-cipuè,ac continenter videre licet in virgi-nibus. Nutrices enim quò partes quæ circa çoxas ſunt & ilia magnopere augeantur, faſcijs thoracem circumligare ſolent vehementer ſtringētes tum ſcapulas, tum ręliquas omnes thoracis partes. Quum verò plerunque non omnes faſciæ partes æqualiter tendantur, accidit, vt vel pectus ad anteriora promineat,vel ea ſpinæ pars, quæ illi opponitur,gibberoſa reddatur:ac interdum dorſum veluti præfractum in obliquum ſeducitur, adeò vt altera ſcapularum diminuta,parua,ac contracta:altera verò eminens, tumida ac omnino maior appareat. Atque omnia huiuſmodi figuræ vitia thoraci adueniunt ob nutricũ errorem ac imperitiam, vtpote ignorantium quo pacto deligare oporteat. Sic medici quoque haud probè deligantes, conformantesq́ue fracta membra, figuram ipſorum inuerterunt. Quemadmodum & ægrotus citra medici curantis peccatum, ſi membrum ad vſum accommodet priuſ quam firmus conſtiterit callus,ipſę ſibi in uerſionis autor putandus eſt. Sed & colliſæ partes,vt naſus,&confractæ,vt in coxę

ſinu

ſinu partes extremæ, interdum oſſa exciſa aut plurima caro quæ poſtea nõ ęqualiter ſuccreſcit, naturalẽ figurã deprauare conſueuerunt. Alter verò modus quo figura deprauatur (qui ad plenitudinẽ pertinet, aut defectum, vt in ijs qui nimis obeſi, aut admodum colliquati ſunt) vel in vna conſpicitur parte, vel in toto corpore. Quippe morbus qui elephas nominatur, planè formam immutat: itidem & tabes. Etenim naſus ſimus, labra craſſa, aures acuminatę in elephantiaſi videntur: atque in totum qui ſic laborant Satyris ſimiles ſunt. At nares acutæ, collapſa tempora, oculi concaui, in phthiſicis deprehenduntur, quibus ſcapulæ quoque & brachia, in alarum modum porrigi videntur. Atqui in his omnibus figura, primaria quidem ratione deprauatur, verùm per accidens vitiari videtur in ijs, quos vel neruorum reſolutio, vel conuulſio, aut phlegmone, aut ſcirrhus infeſtant, quibuſve nerui aut tendones diſſecti ſunt, aut quibus prædura cicatrix inducta eſt. In omnibus huiuſmodi affectibus, pars à naturali figura deflectit, idque aliàs aliã ob cauſam. Ipſa enim in ijs qui altera parte reſoluti ſunt, trahitur à muſculis actionem faciẽtibus: at in iis, quos in altera parte conuulſio occupat, à muſculis cõuulſis

Haud aliter phlegmone, ſcirrhus, cicatrix dura, & reliqua in vniuerſum huiuſmodi pathemata, partem proximam ad ſeſe intendendo trahunt, atque ſic figuram peruertunt. In neruis autem & tẽdonibus diſſectis, quemadmodum in reſolutis, oppoſitorum, & naturaliter ſe habẽtium actio, partem ad ſe attrahit. Itaque omnes hæ quatuor cauſæ ſub vna comprehendi poſſunt, nempe tentione partem in diuerſum inclinante. Atque de figuris à naturali habitu deflectentibus hæc dixiſſe ſufficiat. Concauitates autem partium, ac meatus earum, aut omnino pereũt, aut lęduntur, idq́ue ob cauſas ſequentes: aut enim coaleſcunt, aut conſtipantur, aut obſtruuntur, aut conſtringuntur: aut in ſeſe reſidẽt, aut ipſarum oſcula aperiuntur. Quippe euenit interdum exulcerata interna meatus facie, vt coaleſcant inter ſeſe partes exulceratæ: atque corrumpatur naturalis conformatio. Interdum vbi caruncula oritur vel aliud aliquod tuberculum aut ſcirrhus aut phlegmõe, aut abſceſſus in ipſis inſtrumentorũ corporibus, deinde cõprehendat tumor pręter naturã internã cõcauitatẽ, fit vt meatus cõſtipetur. Atq; vbi ob craſſos viſcoſosq́; humores, aut callos aliquos aut grumos, facta eſt obſtructio: ipſa ad

eundem ducet cōcauitates affectum. Item si quid extrinsecus incidens valde cōmprimat, necesse est corpora concauitatem cōtinentia simul ad interna ipsius impelli. Quòd si corpora in se ipsa resederint, vt quum ab adstringentibus coguntur, aùt à frigore constringūtur, aut ab exiccantib⁹ exarescunt: accidit, vt constipentur præcipuè quidem meatus, deinde ipsi quoque ventres. Meatuum verò oscula, non solum constipantur sub huiusmodi affectibus, verùm etiam omnino obcæcantur. Atq; ea facultas quam retentricē nominamus, quum immodicè moueatur, ad extremū cogens ac cōstringens meatuum oscula, ipsa quoque constipationis causa redditur, quemadmodū raritudinis laxitatisq; nonnūquā causa fit expultricis facultatis motus immoderatus. Idē sępenumero efficere solet & retētricis imbecillitas, ita & medicamēta, & aquæ quę aperiendi oscula vim obtinēt, ac vbi immodicè laxa fiūt instrumenta. Præterea si ąëris nos ambiētis temperatura ad caliditatem immodicā atq; humiditatem permutetur. Itaq; affectuum qui tum meatus, tum ventres infestāt, hæ sunt causæ. Ex iā dictis dilucidè patet, quas causas putēt esse morborū qui in similaribus corporibus cōsistūt, ij qui ipsa

† ἐξ ὄγκων καὶ πόρων. † ex tumidis aceruis & meatibus fabricata existimant. Hos ego silentio præterire decreui, quandoquidem falso penitus innituntur fundamento. Verùm ad id quod propositum erat redeũtes, explicemus reliquorum morborum causas. Incipiamusque rursus à cõformationis genere, in quo duplicem adhuc morborũ modum enarrare oportet: alterum quum instrumenta præter naturam asperantur, alterum quũ læuigãtur. Quippe asperantur quæ antea fuerunt læuia, & læuigantur quæ prius erant aspera: illa quidem ob acres humores aut medicamenta abstergentia: hæc verò ob pinguem humorem, aut viscositatem. Huiusmodi vitia maximè in ossibus euenire, haud obscurè videntur: interdũ quia medici perperam ipsa curauerunt, interdum etiam ob humorum in animante cõtentorum naturam. Oculi verò & fauces asperantur non solùm ob iam dictas causas, verùm etiã ob acres vapores, puluerem & fumũ. Sic etiã gula, ventriculus, intestina, & ob excremẽta in ipsis genita, & ob ciborum potionũq; qualitatem, quibus venena quoq; adnumerantur. Id verò perspicuũ est, singulas exasperantiũ causarũ quũ fuerint valentiores, in carne vlcus, aut erosionem, in ossibus cariem inducere. Atque hu

huiusmodi sunt primi generis, quod in conformatione cōsistit morborum causę.

Causæ morborum partis organicæ ex partium numero excedente aut deficiente.

CAPVT. VIII.

IN altero autem ipsius genere, quod ad numerum pertinet. Si perierit pars aliqua, quę iuxta naturæ ordinem adesse debuit, necesse est eam vel resectam fuisse, vel vstam, vel putrefactam, vel nimis refrigeratam. Sed refrigerationis causas iam diximus. Putredinem verò inducunt aut medicamenta quæ suapte natura putrefacere possunt, aut excrementa in ipso animali genita: item ea quæ transpirationem impediunt. Atque prohibitæ transpirationis causas supra proposuimus. At si quippiam oriatur in corpore, quod numerum à natura institutum excedat, id quoque ad morbum qui in numero partium cōsistit, referri debet. Quod si id quod supercreuit, naturali sit specie, causam eius existima fuisse materiæ vtilis multitudinem. Si verò è naturali specie euariat, materiæ quoque qualitatem pręter naturam fuisse necesse est. Atqui vires vtrobiq; validas esse oportebat, alioqui neq; cōformari potuisset quod vtile, neq; extrudi quod erat vitiosum. Igitur natura cōformat quidem

dem in fœtu, quãdoq; sextum digitũ vel quippiã aliud huiusmodi molitur. In his autẽ qui iã in lucẽ editi sunt, ac perfecti videntur, quũ supercrescentẽ carnẽ in vlcerata parte ꝓducit, aut pterygiũ, id est vnguẽ, in oculis. Deponit vero id quod redũdat in gãglio, meliceride, steatomate, atheromate, & reliquis huiusmodi omnibus.

Causæ morborum partis organicæ ex magnitudine præter naturã auctæ vel minutæ.

CAP. IX.

PArtiũ verò magnitudo augetᷣ, vel ob vtilis materię multitudinẽ, vel quia valida est potẽtia: minuitur verò à causis cõtrarijs, & quoties instrumẽti cuiuspiã pars vel resecta, vel vsta, vel putrefacta; vel sub nimio frigore demortua, ita perit, vt ea quę reliqua fuerit, mutila mãcaq; reddatᷣ.

Causæ morborum partis organicæ ex cõpositione & situ partium præter naturam.

CAPVT. X.

MOrborum autem qui ad cõpositionis genus pertinẽt aliquos subitarij, vehemẽtesq; motus inducũt, alios humiditatis in articulis intemperies efficit, quippe quæ ligamenta & humectat & laxat, ac ob viscositatem totum articulum lubricum labilemq; reddit. Sunt nonnulli quibus in coxarum sinu supercilia confracta

oc-

occaſio fuerunt, vt promptè membrorum capita ſedibus ſuis exciderent. Sunt non nulli quibus protinus ab initio cotylæ, id eſt coxarum ſinus, ſupinæ incōtinentes, & omnino in ſuperficie prominere vidētur: atque hæc omnia inter luxationum cauſas numerantur. Porro per eos morbos quos enterocelen, & epiplocelē nominãt, accidit vt laxetur, vel diſrumpatur omnino meatus ille, qui à peritonæo ad teſticulos procedit. Sic deinde vel in ipſum meatum, vel in eam tunicam quæ græcis ἐρυθροίδης vocatur, interim omentū, interim inteſtinorum aliquid delabitur. Recedūt etiam à propria ſede inteſtina, quã do diſſecto peritoneo procidunt. Sic pulmonis fibra, vulnerato pectore, ſubinde procidere videtur. Et †eroſa ceratoide, rhagoides tunica immodicè laxatur. Præterea ſi viſceris cuiuſpiam fibra, ob vehementem caſum, vel afflictionem contorqueatur: erit illius quoque morbus poſitionis ſimul & figuræ mutatio, à cauſis iam dictis dependens. Vicinarum verò partium conſenſus deprauatur, ſi partes inter ſeſe ineptè coaleſcant, ſi appendiculum quodpiã, aut ligamentū laxetur, aut abrumpatur. Sed ſingulorum cauſas enumerare, quia manifeſtæ ſunt, haud quaquam oportet,

† In anti. eſt, nō διαβρωθέντος, ſed, τρωθέντος id eſt, vulnerata.

Cauſ.

Causa externa & interna morborum parti similari & organicæ communium, qui ex vnitatis solutione nascuntur.

CAPVT XI.

REliquum est vt vnius adhuc morborũ generis, quod omnibus partibus commune est: siue similares & simplices, siue cõpositę sint, causas explicem'. Equidem vniuersum hoc genus nominare consueui vnitatis solutionem aut continuitatis corruptelam, vel quomodolibet aliter, prout sperauerim sermonem auditoribus fore perspicuum. Quippe maiores nostri nullum ei nomẽ (quod sciam) indiderũt, quamuis ipsius species quasdam suis nomẽclaturis denotauerint: fractionẽ enim aut cariam vocant, in osse solutam continuitatem: In carne autem vlcus aut vulnus. Ad capitis ossa cõplura instituta sunt nomina. Nam quæ in aliis ossibus fractura dicitur: in his tum ῥωγμὴ, tũ ruptio appellatur. Si verò ab cuto aliquo ipsis irruẽte & incidente soluãtur, ἐγκοπὴ & διακοπὴ id est incisio, ἕδρα id est sedes, vocatur. Nomen autem teredon, id est caries, e, litera abundare videtur: quippe quod à tremate id est foramine deriuatũ creditur, perinde ac si tredo quędã, id est foratio sit. Oritur autẽ vbi acres humores ossa erodũt. Subii


cit

citur autem hæc ſpecies ab initio quidem alteri morborum generi, vt aſperitas potius oſsis, quàm caries, aut foratio nominetur, procedēte autē perforatione, adeò vt veluti foramen quoddā iam appareat. tū teredon, id eſt caries nominatur. Huius generis eſt θλάσμα quoque, id eſt colliſio: id magna ex parte accidit in carne, quamquam nonnunquam & in oſſe videtur euenire, idq́; maximè in pueris. Oportet enim vt in ſeſe cogatur omnino id quod colliditur, atq; ita ſit molle, vt abſolutā duritiē nō aſſequat. Proindevel caro erit, vel oſſiū aliquod molle, quodcolliditur ſub irruēte extrinſecus aliquo violēto, valido, & duro corpore. Igitur ſi partis ita affectę externa facies integra permaneat, & in profundo ſint multæ & paruę diuiſiones, huiuſmodi morb' θλάσμα & θλάσις id eſt, colliſio appellabitur. Quòd ſi cōcauitas aliqua à collidētis corporis ictu inducta appareat, huiuſmodi affectus, ἔνθλασις id eſt, illiſio, nominari debet. Vt neceſſariū autem eſt colliſam partem ſub ictu in ſeſe compelli, & concauā fieri, alioqui non collideretur: ita ſeruari concauitatem, feriente remoto neceſſarium non eſt: quippe mollia corpora omnia, ſeparata repercutiente, ad priorē, habitum redire ſolent. Si verò non ſolum

ad interiora recesserit os capitis, sed etiam ruptura quædã in exteriori facie accedat, compositus erit huiusmodi morbus, neq; vllum habet à priscis authoribus nomen institutum, quam ob rem oratione potius explicandus est, quàm nominibus extremè barbaris, qualia à recentioribus medicis plurima iã sunt vsurpata. Porrò ad cõtinuitatis solutionẽ pertinet & ruptio Græcè ῥῆγμα: & cõuulsio, Græcè σπάσμα, hæc in neruis: illa verò in carne consistens, quæ causam suæ generationis habent repentinum, inæqualem, & validum motum in corporibus præcipuè, quæ priusquam perfricta, & ad æqualitatem reducta atque calfacta fuerint, ad motum inducuntur. Nam per huiusmodi affectus, complures in ipsis partes diuelluntur. Atque vt summatim dicam, omnes huiusmodi morborum causæ, aut extrinsecus irruũt, aut ex ipso corpore oriuntur: extrinsecus adueniunt, quæ vulnerare, aut collidere possunt, à corpore prodeũt immoderati & incompositi motus animalis, & humores quidam deprauati, qui erodendi vim habent. Atq; hæ sunt causæ morbi, qui communis est omnibus partibus, tum simplicibus & primis, quæ & similares tum compositis ex his quæ instrumenta nominantur.

tur. Compoſitorum vero morborum cauſæ ſunt inuentu faciles, quippe quæ ex iã dictis componuntur. Itaque quicunq; eas congerere non grauabitur, is copioſam ſibi cauſarum compoſitarum ſuppellectilem haud difficulter parabit. Sed tempus eſt vt huic libro finem imponamus, ſymptomatum differentias deinceps explicaturi.

* *
*





CL. GALENI DE SYMPTOMATVM DIFFERENTIA, LIB. III.

*

GVLIELMO COPO INTERPRETE.

Tria in vniuersum humano corpori præter naturam accidunt, morbus, causa morbi, & morbi symptoma. De morbo & eius differentiis ac causis, prioribus libris abũdè dictum est, hoc verò superest explicanda natura symptomatis, & differentiæ. Verùm cùm symptoma probè cognosci non poßit, nisi sciatur quid sanitas, quid morbus & eius causa, quid pathos & actio, ideo prius hæc definit Galenus, singula suis notis distinguens, addita duplici symptomatis acceptione.

CAPVT I.



VID sit morbus, & quot ei⁹ tũ species, tum genera: similiter qui simplices, quíve cõpositi morbi, & à quibus causis singuli proueniãt, in alijs com

cōmentariis iā conſcripſimus. Reliquum eſt vt de ſymptomatis diſſeramus, vt nihil deſit, quo minus ſermo de omnibus affectionibus præter naturam, perfectus reddatur. Sanè omnis corporis affectus à naturali conſtitutione recedens, aut morbus eſt, aut cauſa morbi, aut ſymptoma morbi quod nonnulli medicorū ἐπιγέννημα, id eſt ſuccedens, vocant: quanquam hoc nomen Græcis parum eſt in vſu, ſed ſymptoma, & pathema, & pathos creberrimè sūt ipſis in ore. Atqui hæc omnia quæ diximus nomina, nō idē omnino ſignificant. Equidē vt in præsētia de oībus; ipſis ordine inter ſeſe diſpoſitis diſtinguam, hūc in modū rem ipſam aggredior. Morbus quidem dicitur cōſtitutio quędā præter naturam, à qua actio primo vitiatur: quin ſi affectū dixerimus à quo actio vitiatur, idē nos dixiſſe cōſtat. Nā quicquid eſt, id aliquo modo afficitur: ſiue ſanū fuerit, ſiue ęgrum, ſiue neutrū: atq; nomen διάθεσις à διακεῖσθαι, id eſt affici quodāmodo, deriuatū. Neq; philoſophis dūtaxat, verū etiā reliquis Græcis omnibus, in hūc vſum receptum eſt: etenim affectùs generatim ad omnes pertinet, tū ſanos, tū ęgros, tū neutros: †inſuper & cātum, & harmoniam, & orationē & dictionē affici dicunt Græci.

Iſta ex Græc. ita erant vertenda. Et enim & cātus, & harmonia & orationis & dictiōis διάθεσις, id eſt affectus à Græcis dici ſolet.

Porro sanitati morbus cõtrarius est, ac ab vtroque differt, id quod pathos & pathema nominant, vt etiam Plato ipsum definiens dixerit: Quicquid aliquis perpessus fuerit, id pathos appellandũ est. Vnde (ni-fallor) & sensuũ alterationes pathema nominauit: nempe in visu, eas quæ ab albo, aut nigro, aut flauo, aut alio quouis colore proueniunt. In tactu, eas quæ à calido, frigido, sicco, humido, molli, duro, ac reliquis huiusmodi omnibus: similiter & in reliquis sensibus. Vocat etiam & voluptatẽ pathema; atq; in totũ, omnem motũ quicunq; procedit ab altero in alterũ. Quippe efficientis motus actio dicitur: motus vero rei quæ afficitur, pathema & pathos vocatur: quanquã enim affici quodãmodo idem est quod pati, motione tamen pathos ab affectu discriminatur. Quũ enim quieuerit alterãs, alteratio permanens in re quæ perpessa est, eiusdem rei affectus esse cẽsetur. Itaq; pathos est dum quippiam conuertitur, mutatur, alteratur, mouetur. Affectus vero in subiecto corpore & permanet, & seruatur. Nihilomin' Græci permanentem quoq; affectũ, vocant pathos: quemadmodum id quod egit, desijt vero agere, causam nominãt. Verùm neq; hoc simpliciter causa, neq; permanẽs affectus sim-

ſimpliciter pathos dici debet: nam ſi quis accuratè loqui voluerit, permanentem affectum, factum pathos appellabit, quum reuera non ſit pathos. Cæterũ quod Græci has voculas, ad huiuſmodi vſum accommodare conſueuerint, in libro de medicis nominibus oſtendimus. Atq; meminiſſe oportet eius quod ſemper dicere ſolemus: vt quod ad nomina pertinet, celerrimè mutuã pacẽ componamus, atque ad res ipſas feſtinantes, in ipſis verſemur, ac diu perſiſtamus. Verum inueniũtur cõplures, etiam eruditionis titulo ſeſe venditantes, qui † omnia peruertunt, quippe omnẽ vitã, de nominibus altercando conterunt, adeo vt nunquã poſsint ad artis finẽ peruenire. Quid igitur faciet vir veritatis ſtudio ęſtuans? Principio oſtẽdere debet res quæ ſuapte natura inter ſeſe ſimiles ſunt, atq; ob hoc neglectę, deinde imponere eis nomina, maximè, quoad eius fieri poteſt, vſitata, & à patrio ſermone non aliena: quod ſi hęc ignorat, fingat ſibi ꝓpria. Idque ſummoperè curet, vt ſingulis reb⁹, ſingula adhibeat nomina, ne ob homonimiã ſermo reddatur obſcurior, néve ſophiſmatis perturbet, neq; etiã res aliqua omittatur. Cęterũ ſiue rectè, ſiue perperã, ſiue ꝓpriè, ſiue impropriè nomẽ fuerit inſtitutũ,

† ἔμπαλιν δρῶσιν. i. contra faciunt.

multo ocio conſiderandum eſt, idque ſi prius res ipſas didicerimus: quippe non in nominibus, ſed in rerũ notitia, rectũ officium verſari videtur. Nos vero vt diximꝰ patriis vtimur nominibus, & res inter ſeſe vicinas definimus, permittentes aliis pro arbitrio nomina imponere, ſed res ipſas præterire concedimus minimè. Igitur in ijs quæ nũc nobis propoſita ſunt, hoc quidem fit, dũ corpus vel cõuertitur, vel trãſmutatur, vel quomodolibet alteratur: alterum verò factum eſt & permanẽs. Porrò eius quod factum eſt, aliud quidem naturalem actionem facere poteſt, aliud verò eam vitiare. Itaque id quod adhuc fit, nec eſt niſi dum fit, actionem, aut pathos nominauimus: id verò quod per tempus aliquod permanere poteſt, ſanitatẽ, aut morbum. Actio & pathos differũt, quẽadmodum id quod facit, & id quod fit. Morbus verò à ſanitate diſtinguitur, quod hæc ſecundum naturam eſt, ille cõtra naturam. Rurſus de ijs integrum ſermonem inſtaurãtes omnia ordine proſequamur. Igitur ſanitas eſt affectus ſecundum naturam ad faciendam actionem idoneus. Porro nihil refert vtrum dixeris conſtitutio an affectus: ſimiliter ſiue ad faciẽdum actionem idoneus, ſiue cauſam actionis dixerimus.

Neque

Neque refert etiam si, secundū naturam, omiseris: intelligitur enim in reliquo sermone. Sic morbus est corporis cōstitutio præter naturam, aut causa ob quam vitiata est actio: aut breuiori compendio sic. Morbus est affectus pręter naturam impediens actionē. Pathos est motus circa materiā ab efficiente procedens. Ipse vero efficiētis motus, actio est. Id vero quod suapte natura inducere potest ei quod fit, aliquam suæ generationis partem, ipsum illius causa dicitur. Cuius cōplura sunt genera, nempe, materia, vtilitas, scopus, instrumentū, & vnde principiū motus: quippe horum quodlibet, nonnihil ad perfectionē eius quod fit conducere pōt. Quæ vero nihil inferunt, sed inferentes causas impellunt, eā causæ sine qua non, rationē obtinēt. His ita se habētibus potest ordo quidam causarū, quæ crebro sese inuicē suscipiant, institui, veluti pluribus inter se calculis ordine dispositis, si qs primū moueat, primus verò secundum, atque hic tertium, & sic deinceps quilibet se sequentē: In quibus omnibus nisi quis distinguat id quod per accidēs facere dicit̄, ab eo quod per seipsum, multa & absurda committet in suis disceptationib' peccata. Significat aūt per se idē quod primo, quāuis nōnulli

articè loquentiũ hoc vocabulum non ſeruent: per accidens autem idem quod ſecũdo. Igitur qui primo calculo digitũ applicat, primo quidem hũc mouet, ſequẽtem vero per accidens, & ſecundo: itidem reliquos quoque omnes. Sic etiã primus per ſe mouet ſecundum: tertiũ verò, & deinceps reliquos, per accidẽs. Atque eadem ratione ſecundus mouet tertium quidem primo, quartum verò & quintum, & alios deinceps, ſecundo. Quòd ſi accuratius diſtinguere volueris (id enim ad exquiſitam rerum notitiam vtilius videtur) quilibet calculus primo mouet eum qui ſibi contiguus eſt, ſecũdo autem eum, qui hunc ſequitur. Ita tertius mouet illũ qui ſe ſequitur, & quartus eũ qui deinceps eſt. His ſic ſe habentibus ac definitis, quum morbus affectus quidam ſit præter naturã, lædens actionem: fierique poſsit, vt morbũ ipſum alter pręcedat affectus, qui & ipſe quidem ſit præter naturam, neque tamẽ ſuapte ratione, neque per ſe, ſed interueniẽte morbo lædat actionẽ: hũc affectum nõ morbum, ſed cauſam quæ morbum præcedit vocabimus. Quod ſi accuratè mentẽ adhibueris, hunc affectũ cauſam vocare potes, eo quod actionẽ vitiat: verùm non per ſe, neque primo, ſed vel per accidens, vel ſecundo:

cūdo: & impediri, & lędi p̄ ipſum dixeris actionē: at à morbo ipſo, ſui ipſius ratione & primo. Itaque dicēdo morbum eſſe corporis affectum, qui impedit functionē, ijs qui ſubaudiunt, & primo & per ſe, ſatis facit oratio: verùm ob rudiores, & rixoſos, addēdum eſt, primo, vt huiuſmodi reddatur ſermo: Morbus eſt affectus corporis, actionem aliquam impediens primo. Affectus vero qui hunc præcedunt, non appellātur morbi. Quod ſi alij quidam affectus ſuperuenerint, ſequentes velut vmbra, ne hos quidem morbos vocabimus, ſed ſymptomata. Itaque non quicquid in corpore præter naturā fuerit, id protinus morbus nominari debet. Sed quod primo lędit actionem, morbus: id vero quod præcedit, morbi cauſa, nō morbus appellabitur. Si vero alius quiſpiā affectus in corpore morbum ſequatur, ipſe ſymptoma, dūtaxat nominandus eſt, quāuis functionis quoque noxa, ſymptoma ſit animantis. Nā quicquid animāti quomodolibet euenerit prę ter naturam, ſymptoma eſt. Atque nominum vſus apud Græcos ſic ſe habet. Atque licebit ea tibi pro arbitrio mutare, modo obſerues, quod dictum eſt, vt res ipſę permaneant, vt exempli cauſa, ſi nolueris vocare ſymptoma, ſed ἐπιγέννημα, id eſt,

id est succedens, vt symptoma sit omne id quod animāti vtcūq; acciderit: ἐπιγέννημα vero non omne, sed id dūtaxat quod mor bos necessario sequitur. Nos verò, vt dictum est, omnē alterationem quę adhuc fit, pathos: omnia autem quæ in corpore sunt præter naturam, symptoma nominamus. Accidit autem nōnunquam, vt eadē res & pathos, & symptoma nominetur, vbi vtrunque significatum ei affuerit, quāuis alia atque alia ratione: vt exempli causa, membrum tremens pati dicitur: nā accidit ei vt contra proprium vsum, & alteretur & moueatur: proinde tremor & pathema & pathos est, atque huiusmodi motus, alteratio simul & symptoma est: quippe motus est præter naturam. Si vero alteratio duntaxat esset, vt quū videmus, audimus, odoramur, gustamus, tāgimus: tum pathos dūtaxat nominaretur, symptoma vero haudquaquā: huiusmodi enim symptomatis propriū hoc est, vt sit præter naturam. Proinde quæcunque naturalis habitus differentia permutetur, siue figura naturalis, siue color, siue magnitudo, siue actio, siue pathema corrūpatur, ipsum accidere potest: atque hęc est eius maximè propria ratio, nēpe à naturali habitu mutatio. Quid autem dicemus? num morbus

quo-

quoque mutatio est à naturali habitu? At qui non simpliciter mutatio, quanquam mutatio quædã est. Symptoma vero simpliciter est mutatio. Quippe iam ostendimus morbum in affectu à naturali habitu permutato, lædẽteque actionem, consistere: vt enim si morbus, duo hæc necessario requiruntur, vt sit in genere affectus & lædat actionem. At neutrũ horum necessario adest symptomati: neque enim quòd affectus sit, neque quòd lædat actionem, definitur symptoma: sed hoc solum quòd sit prçter naturã ad ipsum definiendum sufficit, atque hac ratione differt à morbo: à pathemate autem, quòd hoc & in perpetuo sit motu, & nonnunquã à naturali habitu nõ deflectat. Symptoma vero non solùm in motu, sed etiã in habitu quodam est, & omnino contra naturam. Est igitur pathos alterationis circa materiam motus qui adhuc fit. Affectus constans & permanens est. Symptoma autem est quicquid animãti præter naturam accidit. Qua ratione morbus ad symptomatis generatim dicti appellationem reducitur: nam & ipse morbus quodam modo symptoma est. Præterea causæ quæ morbos præcedunt, in animantis corpore constitutæ, sub symptomatis generatim dicti figu

Ita legitur in græ. An nõ simpliciter mutatio, sed mutatio quædam? Symptoma vero simpliciter mutatio est?

ſignificatione comprehenduntur.

Symptoma generatim & ſpeciatim dicitur: de ſpeciatim dicto Gal. agit hoc libro. Eſt autem hoc triplex: corporis affectus, functionum noxa, & exceſſus retentorum & excretorum.

CAP. II.

ATque de his tantum dixiſſe abundè ſit ſatis: nã de ſymptomatis quæ ſpeciatim dicũtur, in hoc opere diſſerere pro poſitũ eſt. Ea trifariam diſtingũtur: Alia eñ corporis noſtri ſunt affectus, alia functionum noxę, alia ad vtraque cõſequuntur: vt ſunt excrementorũ immodicæ, tũ excretiones, tum ſuppreſsiones: ſimiliter ſtrepitus qui in animante ipſo excitãtur, atque reliquę ſenſibiles differẽtiæ omnes. Quum noxam dico, priuationem etiã intelligas velim: neque enim vel mouẽdi vel ſentiendi duntaxat difficultas, functionũ noxæ quædã ſunt: verum etiam & ſenſus priuatio & immobilitas: itidẽ non ſolum concoquendi difficultas, verum etiam apepſia, id eſt cruditas. Atq; hæc ſunt ſymptomatum genera, quorum differentias particulatim conſiderare oportet. Nec ab re fuerit ſingula deinceps oratiõe perſequi, ſi prius admonuerimus id quod in commentarijs de morborum differentia diximus,

mus:nempe quòd ii qui non corporis affe ctum per quem agimus, sed ipsas actiones sanitatem esse putauerunt, ad morbos referent ea, quæ nos modo inter symptomata, de actionum noxa docemus, in nominibus duntaxat à nobis dissidentes, si scilicet in rebus ipsis nullum admittant errorem. Porrò quicquid erroris in huiusmodi docendi genere committitur: id ferè (vt sæpe diximus) ob derelictam aliquam differentiam euenire solet. Igitur si omnes per sequantur, & eas non symptomatum, sed morborum dicant esse differentias, nō de rebus, sed de nomine solum à nobis discrepabunt. Iam ad sermonis principium redeútes ipsas differentias explicemus. Quoniam symptoma generatim quidem appellatur, quicquid animanti præter naturam accidit: vt & morbi, & eorum causæ, eas dico quæ intra corpus consistunt, non procatarcticas, id est euidentes & externas, symptomata esse censeantur. In altera verò significatione & magis speciatim, quicquid præter naturam se habet (excipiendo & morbos & causas) symptoma vocatur: atque de huiusmodi in præsentia loqui instituimus.

Symptomatum differentias methodo recta docturus, eas primū aggreditur, quæ

ab

ab actione læsa facultatis animalis oriatur. Læditur autẽ actio dum aboletur, debilitatur, aut deprauatur.

CAP. III.

PRincipio in memoriã reuocare oportet triplicem esse symptomatum naturam, & sic deinceps omnia diuidere, ab actione læsa auspicantes: atque hanc in duo prima genera secabimus: quippe functionum ipsarum duæ sunt primæ differentię: aliæ enim ad animam, alię ad naturã pertinere dicuntur: proinde illę animales, hæ naturales appellantur. Rursus aaimalium actionum genus trifariam distinguitur, in sensibiles, motrices, & principes facultates: nec ab re fuerit, facilioris doctrinę gratia huiusmodi vocabulis vti. Deinde quãlibet earum quæ dictæ sunt, per suas differentias distinguamus: nam sentiendi animæ functio, quinque in vniuersum differentias habet. Est enim videndi, odorandi gustãdi, audiendi, atque tãgendi functio. At mouendi functio, vt vnum, idq́ue certum sibi instrumentum vendicat: ita & motiõis modum ipsum habet vnũ (Ita enim iam demonstratum est in eo opere quod de musculorum motu conscripsimus) sed particulatim in varijs instrumentis adeò variatur vt multiformis esse videri posit.

Por

Porrò reliqua animæ functio, quæ à prin cipe potentia prodit, per imaginationem, cogitationem & memoriam diuiditur. Igitur sentiendi functiones, noxas subeunt, quarum communes quidē omnibus sunt sensus priuatio, & sentiendi difficultas (voco autem in præsentia sentiendi difficultatem omnem malam sensionem) particulares verò, in singulorum sensuū functionibus deprehenduntur: vt in oculis cæcitas, visus hebes, deprauata visio: in auribus surditas, grauis auditio, deprauata auditio: ita & de lingua, & narib⁹, & tactu, ad portionē horū dicendum est: quanquam propria nomina non obtinent: aut enim propria sensibilia omnino non sentiunt, aut male sentiunt. Male autem bifariam dicitur: vel enim idem quod debiliter, vel idem quod deprauatè significat. Tact⁹ autem in sua functione præter reliquas sensiones, propriū & insigne symptoma obtinet, nempe dolorem. Qui licet cæteros sensus ob externa eademq; propria sensilia obturbet, hunc tamen sensum non solum ob externa sensilia, sed multò magis ob intimos corporis affectus discruciat: idq; interdum adeò vehementer, vt laborantes doloris grauitate victi, seipsos interimere cogantur. Atque oculos idētidem

dolor inuadit ob lucis ſplendorē: Similiter aures, ob vehemētem, & aſperum ſtrepitum. In olfactu quoq;, & guſtu, alię quędam moleſtiæ eueniūt, prout quilibet horum à proprio ſenſili dolenter fuerit affectus. Maximi verò dolores in ſenſu tactus percipiuntur: etenim vehemēs dolor, quo in auribus ob phlegmonē aut alium quēpiam affectum torquemur: nō ad ſenſum auditus, ſed ad tactum propriè pertinet: quippe qui omnium ſenſuum inſtrumentis communis eſt: quum aliorum quatuor quilibet ſuo duntaxat inſtrumento contētus ſit. Ita in oculis ſubinde vehementes dolores excitentur, ſenſu tactus in ipſis laborante. Huius generis ſymptomatū ſunt & dentium, & craſsioris inteſtini (Græci κῶλον vocant) dolor, itidem & pruritus. Sed nō oportet te ſollicitum eſſe, vt circa quamlibet particulam proprium nomen inuenias, quale eſt cephalalgia, id eſt capitisdolor, otalgia, id eſt auris dolor, cardialgia, †id eſt cordis dolor, quippe non inuenies inſtituta nomina. Sed ſatis fuerit, vt huiuſmodi omnia oratione interpreteris, dicendo, veſicæ dolor, itidē & renum, & lienis, & genu, & pedis, atque ſic reliquorum omnium. Atque hæc ſunt functionum, quæ ad ſenſus pertinent ſymptomata:

Oris Ventriculi eſſe morbū ſæpius interpretatur Galenus.

ta:

ta: quibus præterea duo, non mediocris notæ, addi debent, nempe vigilia & veternus, quæ in primo omnium sensu, qui cõmunis quoque dicitur, consistunt. At functionum, à quibus motus excitatur, prima symptomata sunt immobilitas, & ad motũ difficultas: sed difficultas est, vel imbecillus, & infirmus motus, vel deprauatus: deprauati motus exempla sunt tremor, id est conuulsio, palpitatio, concussio. Quorum symptomatum nonnulla, quum totum corpus occupant, diuersas sortiuntur appellatiões, vt emprosthotonos, opisthotonos, & tetanos: si verò non solùm totũ corpus conuellitur, sed principes quoque functiones detinentur: hoc symptoma, morbus comitialis appellatur: quemadmodum & apoplexia, qua simul & totum corpus resoluitur, & principes functiones occupantur. Atque hæ sunt noxæ, quibus actiones, quæ ad motum pertinent, impediũtur. Quarũ si quæpiam inueniatur, cui proprium, insigneq́; nomen non fuerit inditũ: ob hoc nemo decipiatur, vt putet prę teritũ nobis esse aliquod symptoma: quẽadmodũ neq; apnœan, id est spirãdi defectũ, & spirandi difficultatem, aut ischuriã, id est vrinę detẽtionem, aut dysuriã, id est vrinæ difficultatem, aut aphoniam, id est

Ita legitur in anti. licet in impress. legatur δυσφωνίαν.

vocis priuationem, aut *cacophoniam id est vocis vitium. Verum medici officium fuerit, vt huiusmodi omnia possit inueni re, per singulas functiones animales, neque non cuiuslibet horum differentias, veluti (si ita euenerit) spirandi difficultas, quum sit vnum animalis functionis symptoma, nẽpe spirationis: quod habeat in vniuersum differentias: id quod in libro de dyspnœa iam nobis demonstratũ est. At vocis vitium, quibus particulatim distinguatur differentijs: id vero in libello de voce disseruimus. Ac fieri potest identidem, vt hæsitet aliquis, ad quod genus referendum sit symptoma, vt pandiculatio, oscitatio, sternutamentum, tussis. Sed de his omnibus in sequenti libro, quum sym ptomatum causas attigerimus, latius dice mus. Cõsequens est autem vt earum actio num, quæ à principe facultate prodeunt, noxas prosequamur, incipientes ab imaginatione. Eius noxa nonnunquam veluti paralysis, id est resolutio quædam est, & caros, id est sopor, aut catalepsis nominatur, nonnunquam veluti errans aliquis, & deprauatus motus, qui delirium vocatur: interdum veluti deficiẽs quispiam motus & infirmus, vt in veterno, & lethargo. Atque in cogitandi functione, dementia,

quasi

quasi resolutio quædã est. Stultitia, siue fatuitas, veluti imperfectus est, ac deficiens motus. Deliriũ vero vocatur motus veluti aberrans & deprauatus. Porro accidit plerunque, vt ambas actiones obturbet deliriũ: vt neque bene procedat imaginatio, neque debita fiat ratiocinatio: interdum vna duntaxat læditur id quod Theophilo medico ægrotanti euenit: qui quum alioqui prudenter dissereret, atq; eos qui tum præsentes erant exactè nosceret, tibicines tamen quosdam arbitrabatur esse in angulo cubiculi, in quo decumbebat, eosq; tibia canere, atq; pulsare, & se illos videre putabat, alios quidem stantes, alios autem illic sedentes, atque ita continenter canentes. vt neque noctu, neque interdiu quicquam remitterent, aut quiescerẽt, ne minimo quidem temporis momento, proinde assiduè clamans, iussit eos à cubiculo expelli: atque hanc habuit ille delirij speciem. Is vbi conualuit, abeunte morbo, quicquid singuli eorum qui ipsum visitabant, vel dixissent, vel egissent narrabat, denique visa (Græci phantasmata vocãt) quæ de cantoribus apparuerant, memoriter recitabat. Sunt alij quibus nulla apparent visa, sed non rectè ratiocinantur, cogitandi facultate in ipsis affecta: vt phre-

nitico illi contigit, qui obseratis intus ianuis, protulit per fenestras singula vasa, interrogans prætereuntes, iuberent ne ea proijcere. Hic singula vasa suis nomenclaturis probè nominauit: vnde intelligere licebat, neque imaginandi functionem circa illa esse læsam, neq; nominum memoriam deletam. At quam ob rem ipse decreuisset ea ab alto deiicere, & ita frangere, id coniectura assequi nemo poterat: quãquàm ex ipso opere satis constabat eum insanire. Iam memorandi animæ facultati posse accidere symptomata, tum in ægrotantibus, tum in iis quorum iam finiti sunt morbi, vel Thucydidis testimonio discere licet, qui nonnullos è pestilentia seruatos, adeò omnium quæ antea nouerãt, fuisse oblitos commemorat, vt non solum suos familiares non agnoscerent, sed ne seipsos quidem.

Tradit differẽtias symptomatũ à facultatis naturalis actiõe, abolita debili seu deprauata, obiter addẽs symptomata ab actiõe læsa facultatis vitalis. CAP. IIII.

POstquam de symptomatis, quæ principem animæ potẽtiam offendere solent, dictum est, transeundum iamvidetur ad aliud functionum genus, quas naturales vocant: atque harum singulis eueniũt sym

ſymptomata, aut quia non fiunt, aut quia malefiunt. Eiuſmodi ſunt ſymptomata, quę appetendi facultatẽ comitantur: nempe abolita appetentia, † difficilis appetentia, & immodica ciborum cupiditas. Atq; in concoquendi potentia, apepſia, id eſt cruditas, & tarda concoctio, & difficilis concoctio. Similiter circa digeſtionem quoque cibi per corpus, & circa ſanguinis generationem quum aut non fit, aut male fit, naſcuntur ſymptomata. Ad hoc ſymptomatũ genus reducitur aqua intercus. Porrò circa nutricationis actionem ſi ſcopum non attigerit, atrophia, id eſt quum ſumpto cibo corpus non alitur, & phthiſis, id eſt tabes, accidunt. Vitiatam verò nutricationem ſequuntur, leuce, id eſt vitiligo, ophiaſis, alopecia, & reliqua id genus ſymptomata. Cæterùm abolitio pulſationis, & mala pulſatio, functiõis quæ in pulſib' attẽditur, ſymptomata ſunt. Itidẽ in expellẽdi functiõe ſiue omnino nõ fiat, ſiue non probè fiat, ſymptomata cõſiſtũt: quorum alia quidem propria appellatiõe carent, veluti id quod atram bilem ſequitur: alia nomen habẽt conſuetũ, vt icteros id eſt morbus regius. Methodus autem, id eſt via & ratio, qua hoc in loco omnia poſsint inueniri, eſt, vt naturales facultates

In græ. impreſsis deeſt καὶ δυσορεξίαι.

cognoſcamus, quas in opere ipſis dicato quatuor eſſe diximus in qualibet corporis parte, nempe attractricem, retentricem, alteratricem, & expultricem. Atque circa ipſarum ſingulas, duplex eſt ſymptomatum ſpecies: altera cum malè procedit actio, altera quum omnino non fit: proinde in quouis naturali inſtrumento octo erunt in vniuerſum ſymptomata. Igitur ſi ex anatomice, id eſt ſecandi arte, cognoueris, quot ſint animantis partes, facilè inuenies omnium ſymptomatum multitudinem, quippe quæ naturæ duntaxat fuerint inſtrumenta, octo duntaxat ſymptomatis infeſtabuntur: quę verò ad animam quoque pertinent, ijs pręterea alia duo accedent. Nuper enim demonſtratum eſt, per ſingulas animalium functionum duplicem inueniri ſymptomatum ſpeciem: nam vel omnino non fiunt, vel male fiũt. Neque non dictum eſt, male bifariam dici: aut enim idem quod obſcurè, debiliterque ſignificat, aut idẽ quod deprauatè: ita rurſus in qualibet tum actione, tum facultate non duo dixeris eſſe ſymptomata, ſed in totum tria, nimirum alterum duorum in duo ſecans. Itaque in quolibet naturali inſtrumento, duodecim orientur ſymptomata: in animatis verò inſtrumentis quin-

de

decim. Si verò primis duabus differentijs diuidendo contentus fueris: octo quidē in naturalibus, in animalibus verò decē deprehēdes symptomatum species. Quòd si animale instrumētum duplici sit facultate præditum, vt simul & sentiendi, & mouēdi vires obtineat: secundum alteram quidem diuisionem, duodeuiginti symptomatum formas habere potest: secundum priorem autem, duodecim. Ostendamus igitur in vna aut altera parte, ea quæ iam diximus, vt si quispiam in numerum cogere symptomata voluerit, id in omnibus faciat, quod nos in his fecisse deprehendet, sed non in nominum inuestigatione hæreat (non enim vbiq; inueniet vsitata nomina) abundè enim satis fuerit, rerum naturam cōtemplari. Igitur esto venter concoctionis instrumentum, trahens ad sese (vt ostendimus) familiare alimentum, & excernens quicquid alienum est, item retinens id quod attraxit, & alterans id quod retinuit: cui, si acciderit, vt vel nihil omnino trahat, vel male trahat: duo hæc trahētis facultatis symptomata esse perpende, deinde alterum ipsorum bifariā diuidas, nēpe quod male (tametsi non sint tibi nomina quibus ea manifestè explices: neque enim vllum ipsis nomē impositū est, qua-

propter oratione ea interpretari tẽtandũ est) vt mala attractio: partim sit imbecilla, partim veluti deprauata. Imbecilla quidẽ, quum vix & difficulter, & multo tẽpore attrahit. Deprauata verò, quum inter trahendum veluti palpitat, aut tremit, aut cõcutitur, aut conuellitur. Alteratrix autem facultas in ventre tunc omnino abolita cẽsetur, quum cibus secundum omnes qualitates, talis permanet, qualis assumptus est: Imbecilla alteratio proprium nomen obtinuit, bradypepsian, id est tardam concoctionem. Deprauata autem alteratio est, quum in alienam qualitatem cibi permutantur. Itaq; tria in vniuersum erunt symptomata, vnica functione à scopo aberrante. Porrò functio ipsa nominatur concoctio, quum cibus in qualitatem animanti familiarem permutatur. Bradypepsia verò, quum in eandem qualitatẽ, sed longiori tẽpore & vix permutatur. Alteratio autem in alienam qualitatem, quæ nõ sit secundũ naturam, apepsia, id est cruditas nominatur. Huic homonymos cognominatur & actionis priuatio: quanquam maior erat perspicuitas si hæc sola vocaretur apepsia, deinde dyspepsia ea quæ deprauata est: bradypepsia autẽ vbi imbecilla est alteratio. Atqui (vt Plato dicebat) multi res

ipsas

ipsas non cognoscentes, alijs nullũ omnino nomen imposuerunt, alijs verò inepta indiderunt nomina. Itaq; ne nomina nobis imponant caueamus, & rerum ipsarum essentiam diligenter intueamur. Id si fecerimus, inueniemus similiter retẽtricis potentiæ functionem, naturalem quidem, quùm concoctionis tempori æquatur, & ab omni parte cibos exactè constringit. Priuationem actionis in vniuersum dicimus, quum omnino non comprehendit: id quod in lienteria, id est læuitate intestinorum fieri solet. Imbecillitatem vocamus, quando ventriculus nõ probè amplectitur, aut amplectitur quidem, sed nõ tantisper, donec cõcoctio fuerit perfecta, aut vbi ambo simul eueniunt. Quum igitur in his duabus rebus cõsistat retentricis potẽtiæ functio: vna vt nullũ relinquatur inter ventrem & cibos spatiũ vacuũ: altera vt æquali tẽpore agant, tũ cõprehẽsionis, tum cõcoctionis facultas: fieri potest, vt vel in altera duntaxat, vel in ambabus cõmittatur peccatũ: quippe debilem complexum, hæc sequũtur symptomata, nẽpe † fluctuationes, & inflationes: cũ verò qui breuiori quàm satis est, tempore durat, festina deiectio, & ciborum in vẽtre inferiori † corruptela. Atque hic diligenter animaduertas

Κλυδῶνες καὶ πνευματώσεις. *Male legitur in Aldi. διαφορὰ pro διαφθορὰ.*

velim, quòd sæpenumero symptomatum alterum, sequitur ad alterum: nam ad imbecillũ cõplexũ, interim fluctuationes, interim inflationes sequũtur: eũ vero qui nõ satis tẽporis habuerit, omnino cõcoctio sequitur imperfecta. Deinde vel cibi celeriter deijciũtur aui corrũpũtur in inferiori ventre. Atqui celeris deiectionis inseparabilia symptomata sunt excrementorũ humiditas, & cibi per corpus deficiens digestio. Corruptelã verò sequitur, necessariò quidẽ, excrementorum fœtor, nõ necessario verò mordicatio, aut inflatio. Quippe accidit interdum vt neutrum cõsequatur, interdum vt alterum, nonnunquam vt vtrunque. At verò quam ob rem horũ atq; illorũ, quorũ antea meminimus, alia necessariò, alia non necessariò sequantur, in sequenti libro docebimus, vbi sympto matũ causas persequemur: nã in præsentia ad reliquã symptomatum, quæ retentrici potẽtiæ eueniũt differentiã, transeũdũ videtur. Itaq; ventre cibos amplectente, idq; cũ quodã saltu, aut quasi conuulsione vel tremore, vel cõcussione deprauatã esse huiusmodi comprehendentis facultatis functionem, censendum est. Saltum, haud ob scurè sensu percipimus, neque non conuulsionem: quippe huiusmodi symptoma.

singult' appellatur. At pathema, quod veluti tremor est, non adeo clarè percipitur: tamen si diligenter animaduertas, ne ipsum quidem difficile fuerit deprehendere. Si enim postea quàm cibum sumpsisti, neque fluctuatione, neque inflatione, neque saltu, neq; singultu discruciaris, sed venter præter cõsuetudinem, dubiã quandam molestiam sentit, ac veluti grauatur, & laborat, †cupitq́; celeriter onus vel per infernas vel per supernas partes abiicere, ac ruct' emittit, sequiturq́ue respiratio molesta, ac difficilis, ✶& quæ vix tolerari possit: tum existima vẽtrem amplecti quidem cibos, sed quasi tremulé. At motus veluti cõcutiens, per febrium rigores potissimum apparet, vniuersas animãtis partes occupans: sed de his in libris sequentibus amplius differemus. Iam quartam aggrediamur ventris facultatem, quam & expultricem, & propultricem nominamus. Huius priuatio in quibusdam ilei, id est voluuli, speciebus deprehenditur. Imbecillitas vero creberrimè apparet in tardiusculis quibusdam excrementorum deiectionibus. Motus vero quasi deprauatus est quũ vel properat ad actionẽ, anteà quã perfe-

† *καὶ ποθεῖ θᾶττον ὑπελθεῖν κάτω τὸ βάρος ἢ ἄνω. Linacrus hæc ita vertit: ac magis desiderat grauitatem infrà deponi, quàm sursum ferri.*

✶ *δύσφεραστος est in Græc. impress. quod vertit. Lina. nec facile interpretabilis. Copus antẽ aptius*

videtur legisse δύσφορος.

cta

cta sit cococtio: vel tardat, vel cessat etiam perfecta concoctione: aut cum iam dictorum symptomatũ quopiam, aut cum alia quadã sit inæqualitate, aut veluti immoderatè irruit in cibos venter, vt nequeat motionis impetũ moderari, eorũ exemplo qui per decliuem locum currentes, sistere gradum non possunt. Igitur ventris quatenus concoctionis instrumentum est symptomata iam dicta sunt. At quatenus ipsum nutriri oportet, & trahere ad sese alimentũ, & retinere tãtisper, dum alteretur, & quod redundat excernatur: alterũ eundemq́; æqualẽ symptomatum numerum obtinebit: nimirum vt corpus similare. Ac fortasse nõ ab re fuerit, omnia quæ ad nutricationis functionẽ pertinẽt symptomata persequi, nempe ea quę vẽtri, ac reliquis partibus omnibus sunt cõmunia: ita enim facilior erit lectori sermo, & clarius explicabitur, id quod nuper dicebamus, symptoma symptomatis esse causam. Nam atrophian, siue vniuerso animantis corpori acciderit, siue vnicam aliquã partem occupet, licet vnicũ sit symptoma, cõplura præcedunt symptomata. Quum itaque id quod probe nutriri debet, oporteat trahere ad sese peculiare ,ppriũq́; alimẽtum, deinde retinere ipsum quousque alterat

ratũ sibi assimilet, deniq; excernere quod redundat excrementum, & quum duplex sit excrementi genus, quippe vel quantitate redundat, vel qualitate : necesse est omnino partem quæ nõ alitur, aut in vno eorum quę dicta sunt peccare, aut pluribus: Siue enim debiliter, siue nihil omnino, siue deprauatè trahat, non nutrietur pars, etiam ingesto cibo, tum quantitate tum qualitate modum seruante. Symptoma verò quod retentrici facultati accidit, proportione respondet ijs quæ de ventriculo diximus, itidemq; atrophian inducere potest. Si verò iam dictæ facultates probè suo munere funguntur, errauerit verò expultrix, plusquã oportet excernẽs: ne sic quidẽ pars ipsa atrophiã, maciẽque effugiet. Alteratricis autem facultatis symptomatum vnum veluti priuatio est, quã apepsian, id est cruditatem nominari diximus: atqui ob hanc corpus emaciari planè manifestum est. Alterũ quasi imbecillitas quædam est, quam bradypepsiã vocamus: hæc multo tẽpore indiget, neque dubium est quin aliquando maciem inducat. Tertium autem symptoma, quod dyspepsiæ proportione respondet, non atrophian, aut maciem affert: sed particulæ ideam id est formã trãsmutat, quemadmodum in

leuce id est vitiligine, & elephantiasi videtur. Sed hic animaduertere & distinguere oportet, vtrum ob humorem aliquem affluentem an ob solidarum partium affectum, color mutatus sit. Quippe si ob humores id euenerit, non ad alteratricem facultatem referend' est error, sed ad aliud genus symptoma reducēdum est. Si vero tota pars similiter in vniuersum fuerit decolorata, non oportet ob hoc alteratrici potentiæ, quæ in ipsa est, attribuere errorem: etenim per morbū regium naturalis color mutatur: sed hoc symptoma ad expultricem pertinet functionem: quāquam nonnunquam venis ipsis affectis accidere potest, sed tunc ad alteratricem referri debet. Porro coloris vitium quod propriè in singulis partibus depræhenditur, nisi ob humorem extrinsecus affluentē euenerit, veluti dyspepsia quadā, id est difficilis cōcōctio est, tum alteratricis, tum concoctricis in ipsa parte facultatis. Sed relicta huiusmodi atrophiæ specie, quæ poti' cacotrophia quędā est, ad eā atrophiā, qua corpus nutricatiōe priuatur, redeam', admonentes quod & ipsa symptoma est, & aliàs ad alia symptomata sequit̄, quæ vel attractrici, vel retentrici, vel expultrici facultati, vel etiam alteratrici accidere possunt.

Cæterùm horum ſymptomatum omniũ cauſas morbos eſſe cõſtat. Itaq; fac eſſe, vt non ſatis efficaciter pars quæpiam trahat ad ſe alimentum, & hanc ob cauſam non nutriatur: neceſſe eſt vt inefficacem hunc delinquẽtemq́; tractũ, morbus præcedat. †Siue enim imbecillior pars ad ſeſe cibũ alliciat, ipſa omnino intẽperata erit, morbus autem intemperies. ✶Siue temperata ſit particula, ſed obſtructio fuerit in inſtrumentis, per quæ cibus digeritur, & digeſtionem ipſam per corpus impediat, obſtructio ipſa morbus erit, ſymptoma autem noxa digeſtionis per corpus. Sed non ſolum diſcurrendo per ſingula ſymptomata, quæ ab offenſa functione naſcuntur, diſces quòd omnino morbus ipſam præcedit: verumetiã ex ipſa rerũ eſſentia, citra inductionem ratiocinari licet. Etenim ſanitatem functionis cauſam eſſe ſtatuim⁹, morbum autem cauſam ob quã functio læditur: ſymptomata verò, de quibus in præſentia diſſerimus, noxas functionum eſſe dicimus. Ex his propoſitis colligitur huiuſmodi ſymptomatum generis cauſas morbos eſſe.

†In Græ. ſimpre, eſt εἴρηται γὰρ ὅταν id eſt, dictum eſt enim quãdo. licet in aliquibus legatur εἴτε, id eſt ſiue, ſicuti vertit interpres.

✶In Græ. εἰδ'. id eſt ſi autem. in alio tamen legitur εἴτε. id eſt ſiue.

Symptomatũ quæ in corporis affectibus cõſiſtunt differẽtias primũ quatuor enumerat, deinde quintam addit, in iis que ad auditũ

spectāt ut sunt voces, strepit' et id gen' plura.

CAPVT V.

QVòd verò reliqua duo genera præcedant morbi, ac causę rationē ad ipsa obtineāt, paulò pòst ostēdem' posteaquā integrū de ipsis sermonē absoluerimus, incipientes ab eo symptomatū genere, quod in corporis affectibus consistit. Sunt autē eorum quatuor differentię, quippe alia ad visum, alia ad olfactum, alia ad gustū, alia ad tactum pertinent. Visilia sunt colores præter naturā, vel vniuersum corpus, vel partes aliquas occupātes. Totum corpus, vt in morbo regio, & in ijs morbis quos tum hepaticos, tum splenicos nominant, ac in quibusdam aquæ intercutis speciebus. Vnam partem quemadmodū sola lingua interdum videtur insigniter decolorata, neq; nō partes aliquę ob abscessus vel nigricant vel liuent: itidē in carbone, erysipelate, herpete, & gangręna, naturalis color mutari videtur, similiter in vitiligine (Græci alphos & leucas vocāt) & elephāte & alijs eiusmodi, color naturalis in prauū colorem degenerat. Porrò euenit interdū vt multæ partes simul per multos morbos decolorētur, nēpe vel crura magis, vel facies, aut tota superior corporis pars, aut tota pars inferior. At visiles differētias hoc

mo

modo cōtēplari oportet. Ea verò q̄ ad olfactū pertinent, in respiratione & trāspiratiōe præcipuè deprȩhēdūtur (respirationē appello quū ambiēs nos aër per guttur attrahitur, & rursus foras mittitur, trāspirationē autē voco aëris secūdū totū corpus & introitum & exitum) quippe fœtores præter naturam in ipsis percepti, ad hoc symptomatum genus reducūtur: mox aurium, narium, axillarum, & partium, quæ ob affectum aliquem putrescunt, fœtores. Similiter ructus quoque hoc symptomatum genere continetur, si vel fumosus, vel acidus, vel virosus sit, aut piscium fœtorem, aut aliam aliquam huiusmodi graueolentiam referat. Symptomatū q̄ ad gustū pertinēt differentias, ægrotus ipse cōiectura assequi potest: sunt enim qui aliquādo sudorem gustauerūt, ipso interdū in os defluente, ac saliuæ, quæ circa linguam continetur, saporē inficiēte: quemadmodum nonnulli sanguinē quoq; gustant, qui illum quomodolibet per os reijciūt: quippe alij exquisitè dulcem, alij salsum, alij amarū saporē percipiūt. Ita etiā fit vbi ex pulmonibus quippiā reijcitur, aut ex vētriculo vomitione expellitur, vnde alij acido, alij salso, vel amaro, vel dulci, vel etiam austero sapore imbuuntur.

Iam non pauci sunt inuenti medicorum qui non solum sudores gustari iusserunt: sed & aurium sordes: quippe ab his quoq; nonnihil coniecturæ accipiendum autumant. Sed neque tactiles symptomatum differentias, silentio præterire oportet: quandoquidem & ipsæ naturalis habitus metas excedunt: vt pellis dura aut intẽta, itẽ laxa, & arida, & rugosa, aut aliã quãpiã huiusmodi habẽs differentiam. Igitur ex ijs quæ iã dicta sunt, haud obscurè colligitur, totum hoc symptomatum genus à morbis nasci: quippe colorũ, †odorum, & saporũ in solidis corporibus discrimina, à temperaturis ortũ habere, ex naturalibus rationibus didicimus. Similiter & eas quę tactu discernuntur differẽtias, etiam prædictis multo magis: quippe quas cum effectricibus qualitatibus cognationem habere diximus, quod ad eiusdem sensus iudicium referantur: etenim mollities duritiesque tactu iudicantur, haud aliter quã effectrices qualitates ipsis cognatæ.

†κατ' ἀτμόν. halituum Linac. vertit

Proinde quicquid in ijs præter naturam deprehenditur id totum intemperantiæ acceptum referri debet, sicut econtrario, quod secundum naturam est, temperamenti soboles esse censetur. Igitur quum omnis intemperantia sit morbus,

†col

†colligitur morbũ ad huiusmodi sympto mata causæ rationẽ obtinere. Ea verò symptomata quæ partibus ob affluentem aliquẽ humorẽ accidunt: eiusdẽ cum prædictis sunt generis: quippe alia obturationẽ, aut astrictionem sequuntur, alia verò quũ vel attractrix, vel expultrix facultas male suo munere fungitur eueniunt: quam ob rem necesse est ipsa quoq; à nobis, veluti ex fontibus scaturire. Etenim quæ in iocinere fit *obturatio, quũ sit morbus compositi corporis & instrumẽti, causa est coloris qui in regio morbo apparet. Intẽperies verò quæ in singulis partibus similaribus est, quũ ipsa quoq; huiusmodi partiũ sit morbus, aliàs aliã ipsorum impedit facultatem, aut attractricẽ, aut expultricẽ, aut aliã quãpiam: ob quas inæqualiter, & sine ordine, humores per corpus fluentes, modo hanc, modo illam alterãt partẽ, & in colore, & odore, & sapore, atq; in tactilibus differentijs omnibus. Præter ea quicquid reliquorum symptomatum est, siue voces, siue strepitus in animante sint, atq; ea quæ à corpore excernuntur, & quæ detinẽtur in ipso omnia perinde quasi sobo les à morbis originem trahunt, idque vel planè à morbis, vel interuenientibus quibusdam symptomatis. Porrò in vocibus,

† *Ita habent quidã græ. co. anti. sed in impress. legitur* ὥς τε καὶ τὰ τοιαῦτα συμπτώματα νοσημάτων ἔγγονα.

* ἔμφραξις.

oris & faucium, & asperæ arteriæ, & pulmonum, & thoracis morbi pariunt symptomata: quippe vocem reddunt clangentem, †turbidã, tremulam, & raucã. In alijs autẽ animantis partibus, soni, murmurilla, stridores, & id genus reliqua accidere solent, partim ob instrumentorum angustiam, & motum errabundum, partim ob spiritus inflantis abundantiam, vel quibusdam ex his, vel omnibus simul cõcurrentib'. Sed de ipsis, in libro, qui de symptomatum causis inscriptus est, latius dicetur.

χλοιώδεις

Triplex differentia symptomatum quæ nascuntur ex excretis vel retentis præter naturam.

CAPVT VI.

At ea quæ pręter naturã vel excernũtur à corpore, vel detinẽtur, per tres differẽtias prima sectione diuiduntur: vel enĩ tota substantia, vel qualitate, vel quãtitate, à naturali habitu recedunt. Atqui hæc oĩno sequũtur morbos ipsos, idq; vel statim citra alterius affectus interuẽtum, vel interueniẽtibus medijs quibusdã symptomatis. Hæmorrhagia quidẽ, id est sanguinis eruptio, quod ad excretam substantiam pertinet toto genere pręter naturã est: euenit aũt, aut aperto vasis osculo, aut ru

rupto vase, aut eroso. Atqui vulnus ruptura, erosio, proprij similiarium partiũ morbi sunt. Apertio verò osculorũ, ad instrumenta pertinet. Accidit autẽ interdũ ob retentricis facultatis infirmitatem: interdum quia expultrix immodicè mouet: nõ nunquam ob vtriusque noxam. Ita muliebre profluuium fit aut ob iam dictarũ functionũ symptomata, aut quia totus in ea sanguis factus est tenuis, & seri substantiã referẽs. Atqui hoc quoque symptoma est, sed multiformis est eius generatio: quippe sanguis fit tenuis & serosus, vel ea facultate quæ sanguinem parit, vel ea quæ tenue & serosum separat. Vel ea quæ excernit, errante: quanquam nonnunquam fieri potest ob retentricem immodicè munere suo fungentem: fit etiam densata cute, & renibus constipatis. Ita sudores quoque vel excernũtur immodicè, vel indebitè retinẽtur: idque necessariò vel ob cutis affectum, vel ob dictarum facultatum aliquam, vel ob humorũ ipsorum naturam. Vides autem nos in huiusmodi sermonibus, disiunctiuis coniunctionibus vsos: nam in singulis iam dictis symptomatis, omnino vnus aliquis est causæ modus, tametsi nihil obstat, quo minus, tum duæ, tũ tres, tũ deniq; omnes simul conueniãt.


Manifestũ quoq; est sub hoc symptomatum genere contineri & dysuriã, id est vrinæ difficultatem, & ischuriã, id est vrinæ suppresſionẽ, & stranguriam, id est vrinæ stillicidium, & aquam intercutem ad matellam vocatam, quam alij diabeten, alij vrinę fluorem nominant. Porrò quod excrementorum tum colores, tum odores, præter naturã, neceſſariò sequantur morbos, demõstratiõe haud quaquã indiget, quandoquidem nihil huiusmodi citra intemperiem nasci poteſt. Cõstat igitur nos haud obscurè demonstraſſe id, quod propositum erat: quippe omnẽ symptomatũ naturam, vt morbi præcedant neceſſe est: vtq; ſæpe numero symptomata inter sese deinceps in ordinem quendam rediganturita, vt primum symptoma morbũ sequatur, deinde à primo dependeat secundum, rursus ab hoc tertium, mox ab hoc quartum. Sed hic diligenter animaduertere oportet, accurateq́; distinguere à functionibus symptomata: nam subinde tantam inter se habent similitudinẽ, vt functionem putes eſſe symptoma, & symptoma functionem: ac nisi summo quis iudicio prẹditus sit, sermonem calũniabitur, quũ ipse versetur in errore. Quippe si excrementorum naturalium, ita enim vo-

cant

cant ea quæ à ſanis expelluntur, aut quantitaté, aut qualitatem, aut totū ipſum genus ſubſtantiæ, ſcopum quis ſtatuat, deinde ad hunc reſpiciens, iudicet ſymptomata, ſubinde errabit. Nam accidit nonnunquā, vt ſudor, aut alui excremēta, aut vrina, in ægrotantibus multipliciter excedāt quantitatem ſanis cōpetentem: non quòd vlla functio ſit læſa, ſed quod robuſtæ ſint vires, & animantis præmeditatione ita factum ſit. Quamuis enim quædam excrementa toto genere præter naturā eſſe cēſeātur, vt ſanguis è naribus erumpēs, aut vomitione reiectus, aut ſanguinis ab aluo deiectio, aut eiuſdē per ora venarū, Græci hæmorrhoidas vocant, profluuium, aut aliud quippiam huiuſcemodi: non tamen præter naturam dici debent, ſi in tēpore expelluntur. Patet autem in tempore dici perinde ac ſi diceres, id quod moleſtū eſt expurgari. Manente igitur eo quod à principio in cōfeſſo eſſe diximus, nempe quod actionum noxæ ſymptomata ſunt: nihil quod vſui ſit, ſub hoc ſymptomatū genere collocabitur: quippe quòd horū quodlibet, naturæ ſit opus: tantum abeſt vt noxa eſſe videatur, quāquam omnia quæ huiuſmodi ſunt, ad alterum ſymptomatum genus, nempe ad effectū præter naturam

reduci possunt. Etenim si in aliqua corporis parte ita dissecetur vena, aut eius osculum tanto hiatu aperiatur, vt profundat ea quæ antea continebat: huiusmodi affectum haudquaquam secundum naturam esse dicemus: tametsi in præsentia alui fluorē, aut lotij multitudinem sequi omnino ad affectus præter naturã, ostendere non possis. Quòd si dixeris & sanguinis eruptionem, & vomitum, toto genere præter naturam esse: non protinus tamen vel per aluum, vel per vesicam, vel per vterũ, excretio præter naturam erit: quamuis de sudore nõ ab re addubitari posit, sitne ipsius expulsio naturalis. In hac quæstione Diocles magnopere laborauit, cuius dogma durum omnino, & inefficax esse videtur: quãuis quo ad eius fieri potest, maximè probabilibus fulciatur argumentis. Sed de his fortasis dabitur olim amplior scribendi facultas: nam ex omnibus pauca admodum in contentionem venerũt. Igitur de omni reliquorum symptomatum multitudine iam satis demonstratum est, proinde finē huic operi imponamus oportet: quisquis enim exercitatus fuerit in his quæ in confesso sunt, facilè iudicabit ea quæ in disceptatione constituuntur.

C L.




CL. GALENI DE SYMPTOMATVM CAVSIS, LIB. IIII.

GVLIELMO COPO INTERPRETE.

Qua methodo superiore libro symptomatũ differentias inuestigauit, eadem iam incipit eorum causas inquirere. Quærit itaque hoc libro causas symptomatum facultatis animalis sensificæ, id est, visus, auditus, olfactus, gustus, tactus, aboliti, debilis, deprauati, dolentis. Læditur autem potissimum sensifica facultas læsa sentiendi potentia, aut male affecto sensorio instrumento, aut partibus ei subseruientibus. Priusquam tamen rem ipsam aggrediatur, nonnulla eorum, quæ tradita sunt, in memoriam reuocans, totius futuræ tractationis argumentum proponit.

CAPVT I.



IN hoc libro, Symptomatũ causas considerabimus, eodem seruato ordine, quo ipsorum differentias iam anteà tractauimus. Quum

Quum itaq; tria ſint Symptomatũ genera, in primis de illo diſſeruimus, quod in actionis offendiculo conſiſtere dicebamus: in quo intelligi volumus, eam quoq; actionem quæ omnino perijt. Sed quum bifariam diuidatur functionum genus, quippe aliæ animales, alię naturales appellantur: ab animalibus auſpicati ſumus, ac ipſas quoque trifariam diſtinguẽtes, alias ſenſiles, alias motrices, alias principes facultates nominauimus. Igitur in ſenſili actione, triplex ſymptomatũ genus deprehenditur: vnum, quum primum ſenſus inſtrumentum quippiã perpeſſum eſt, alterum quum ſentiẽdi potẽtia, tertiũ quum miniſtrantium primo ſenſus inſtrumẽto, partium aliqua fuerit affecta.

Hoc toto capite docet Gal. cauſas ſymptomatũ viſus aboliti, debilis, deprauati aut dolẽtis, tã exactè vt de oculorũ morbis ac ſymptomatibus alibi nuſquã diſtinctius locutus eſſe videatur. Verũ vt melius, quæ ſcribit, intelligãtur, reuocãda in memoriã oculi compoſitio, ex qua patebit eũ conſtare tunicis quinque: cohærente, ceratoide, rhagoide, amphibliſtroide, arachnoide: & tribus humoribus, aqueo, cryſtallino & vitreo: quibus ſingulis, aut eorum aliquot præter naturam habentibus morbi & ſymptomata, de quibus hic eſt,

ſermo

sermo, nascuntur.

CAP. II.

VEluti in oculo, primum sentiendi instrumentum est crystalloides: iam enim demonstratum est ipsum solum à coloribus alterari. Vis autem sentiendi est quæ à cerebro per neruum in ipsum descẽdentem procedit: ad illius verò seruitium creatæ sunt reliquæ omnes oculi partes. Quicquid ex ijs quæ iam enumerauimus, fuerit læsum, animal: vel malè, vel nihil omnino videbit. Iam crystalloidis morbi per octo intemperies distinguuntur, facultas autem offenditur, vel neruo affecto, vel cerebro: atque vtriusque horum octo sunt morbi, ipsis vt similaribus accidẽtes, atque alij vt instrumentis, nempe obstructio, †constipatio, ac tumores prӕter naturam, quos affluentes humores pepererũt. At continui solutio non solum neruo, aut cerebro accidere potest: sed omnibus iam dictis, tũ similaribus partibus, tum instrumentariis communis est, vt in crystalloide quoque euenire videatur: cui etiam interdum accidit vt à sua sede dimoueatur, trãsferaturq́; . Atqui is quoque affect', instrumentorum morbis connumerandus est. Porrò si ad alterum angulorum, vel maiorem, vel minorem conuertatur, haud ita

† *In græ. est* θλίψεις *alienorum innixus, siue compressiones, vertit. Lina.*

notatu

notatu digna noxa succedit. Si verò vel ad superiora, vel ad inferiora declinet, tum quicquid cernitur, id duplū esse videtur. Huiusmodi morbis tum primum visus instrumentum obnoxium redditur, tū etiā instrumēta alia quæ illi potentiam suppeditare possunt. At earū partium quę vsum aliquem præbent, morbi sunt, si in rhagoidis foramine, aut inter hanc tunicam & crystalloidem, humor continetur aut spiritus, tātus nimirum, vt primum visionis instrumentū, quo minus res sensibiles dignoscat impedire posit. Ad hunc modū ceratoidis ea pars quæ pupillæ præposita est, visionem impedit, siue propria ipsius ratione, siue alio quouis pacto à naturali habitu aberrauerit. Igitur foramen ipsum rhagoidis quatuor modis à propria natura permutatur, nēpe auctū, imminutum, diuulsum, aut ruptū. Atqui incrementum nunquā non lędit visum: siue id ab vtero protinus, siue postea cōtigerit. Imminutio verò, si in vtero contracta est, acutissimam efficit visionem: quæ verò postea accidit, praua est: Reliquorū neutrū, siue à primis vnguiculis, siue postea quàm quis genitus est acciderit, visioni incommodū notatū dignū inferre potest. Equidem sępe numero vidi, vbi parumper rhagoides

pro

procidiſſet, inducta in diſtortã pupillã cicatrice, hominẽ quo minus cerneret haud quaquã fuiſſe impeditũ, modo pars illa ceratoidis quæ ei abiecta erat, abſoluta perſpicuitate luceret. Sed ijs quæ diximus experientia quoq; aſtipulatur. Verùm quam ob cauſam foraminis amplitudo bonę viſioni ſemper incommodet, auguſtia non ſemper, id verò diſcutione dignũ videtur. Ea (vt mihi videtur) referenda eſt ad neruum qui à cerebro ad oculũ defertur, quẽ Herophilus viam nominat: quippe qui ſolus manifeſtum habet foramen, quod ſenſilis ſpirit' ſit via. Proinde quũ alterũ oculum claudimus, accidit vt alterius pupilla dilatetur: quòd ſpiritus antea ambobus particulatim diſtributus, vniuerſus in vnũ deriuet. Ex hoc maximè ſigno, per ſuffuſiones claudendo oculũ conijcere licet, nũ † admota acu poſsit recuperari viſus: nec ne. Quib' enim altero oculorũ clauſo pupilla clarior apparet, ij ſperare debẽt fore vt facta perforatiõe viſum recuperẽt. Quibus verò nõ dilatatur, ij ab omni ſpe recuperãdi viſus exciderũt, etiã ſi & ✶ iucũdiſſimè, & perquã probè tractẽtur. Ex ijs omnibus facilè cõſtat, ſpiritũ aliquẽ animalẽ à cerebro ad oculos demitti, & in humorẽ ipſum cryſtalloidẽ, & in totũ illi obiectũ ſpa

† In græ. eſt παρακεντηθέντος. ſed in impreſ. additur καὶ κατενεχθέντος τοῦ ὑποχύματος. id eſt & detracta ſuffuſione.

✶ ἀναδυνότατα. i. prorſus citra dolorem.

ſpatium, cui rhagoidis foramē terminum præſcribit. Quū itaq; pupilla, ſiue in prima protinus conformatione, ſiue poſtea, amplior fuerit, vniuerſus ipſam totam ſpiritus rectè implere nō ſufficit, vnde ipſum diffundi, & diſſolui, diſsiparíque neceſſe eſt. Contrà ſi fuerit minor, cogitur & constringitur, ac denſior fit ſpiritus. Atqui in libris de vſu partium iam demonſtratum eſt, ſpiritum coactum, conſtrictumque ad facilem ſenſum plurimùm conferre: è diuerſo diſſolutum: diſsipatumque, ſentiendi difficultatem inducere. Cur igitur imminuta pupilla (idque non ſuapte natura ſed ob morbum) cenſetur mediocri deterior? an quia prauos affectus ſequitur, ob quos oculus ita patiēs neceſſariò deterius cernit, nō quia exigua ſit pupilla. Sed qui ſunt huiuſmodi affectus? nam & hoc diſcutiendum relinquebatur. Vnus ad tunicam ipſam rhagoiden duntaxat ſpectat: alter ad humorem tenuem effuſum, qui inter cryſtalloiden & rhagoiden medius conſiſtit. Itaque affectus ad ſolam tunicam ſpectans, extenſio quædam eſt & laxitas, qualis in externis ſubinde partibus accidit, quum in articulis ligamenta redundante humore fuerint imbuta. Affectus verò ad humorem ſpectans, eſt defectus, ob quem

vacua

vacuato interno ſpatio, rhagoides in ſeſe concidens cõtrahitur, rugaturq́; quapropter pupilla quoque minor redditur. Igitur quum per huiuſmodi affectus quis aut deterius aut nihil omnino cernit: id nõ ob pupillæ paruitatem, ſed ob humoris defectum accidit. Quippe iam demonſtratum eſt in ſermonibus de viſu, quos & in tractatu de partium vſu, & in eo quem de Hippocratis, Platonisq́ue placitis, conſcripſimus: humorem cryſtalloiden ſemper propugnaculo quodam egere, quo citra offenſam, externum ſplendorem ſuſtineat. Atqui iam dictus humor inter ipſius propugnacula numeratur: prӕterea cryſtalloidis quoque eſſentiam nõnihil iuuare videtur. Deficiente itaque hoc humore cryſtalloides quodammodo areſcit, eo quòd nõ ſatis liberaliter humore imbuatur. Deinde rhagoides ſuper ipſum decidens, ſpatium quod medium erat inter hanc tunicam & cryſtalloiden, breuius reddit: ita externi aëris ſplendorem per exiguum medium: cryſtalloïdi occurrere neceſſe eſt: vnde ſimiliter afficitur, vt hi, qui † inconniuentibus oculis ſolem intuẽtur: quorum vt aliqui obcæcantur, ita omnes noxam ſubeunt: vtpote qui vix vnquam priſtinã recuperare poſsint cernendi facultatem. Iã

† ἀσκαρδαμυκτί

enim ostēdimus, visionis instrumentum, splendorem, citra molestiam tolerare non posse: quam ob rem rhagoides tunica ei obiecta est, nigra simul & cærulea: quippe iis potissimum coloribus recreatur oculus, quem splendor fatigauit. Atq; hæc vi detur esse causa, cur imminutus circa pupillam humor, & deteriorem faciat visionem, & exiguum reddat rhagoidis foramen. Ob hoc etiam perquam difficile est, huiusmodi morbum ad sanitatem reducere. Porrò alter affectus, quo pupilla ob humiditatem minor apparet, nō est adeò periculosus: quum longè difficilius sit: similarem instrumēti in corpore partem exiccatam humectare, quàm humidam exiccare. Sed hæc medendi quodammodo methodum attingunt. Dicamus itaque id quod ab initio proponebatur: molesta quidem est pupilla, præter naturam exigua: quæ verò suapte natura talis est, vtilis esse censetur. Rursus amplitudo, naturalis quidem vitiosa est, neque vitio caret non naturalis: sed in hoc ab angustia vincitur. Quippe cōtinens causa (vt ita dixerim) quæ ipsam inducit, rhagoidis tunicæ tentio est: cuius laxitas, pupillam reddit minorem. Quum itaque bifariam tendatur, quando propria ipsius ratione afficitur,

tur, aut exiccata vt similaris, aut humecta ta vt instrumentum: siccitatis quidem curatio difficilis est, humiditatis vero non difficilis. Etenim phlegmone, scirrhus, abscessus, ac alij eiusmodi morbi ad instrumenta pertinent, à redundantibus geniti humoribus: quisquis horum in rhagoide constiterit, à perito medico facilè vincitur. Verùm tétio in rhagoide tunica nonnũquam euenit ex accidenti, quum à subiectis humoribus ortum habuit: impleta enim, veluti vter aut vesica extenditur, & vltro citroque distrahitur, ipsis in medio spatio aceruatis inter ipsam & crystalloiden. Quoniam vero nõ solùm foraminis, quod in rhagoide est, morbos percurrimus, sed ipsi' quoque rhagoidis, ac tenuis humoris nonnullos tractauimus: consequens est vt reliquos ipsorũ morbos explicemus, ob quos visio vel impeditur, vel omnino aboletur. Igitur ex morbis qui in rhagoide tunica cõsistũt, visioniq; incommodãt, vnus adhuc superest cõmunis tum similaribus partibus, tũ instrumẽtis, nempe vnitatis solutio: quæ quidem in hac parte, tum vulnus, tũ vlcus est. Id si ad tantam perueniat magnitudinẽ, vt nõ ita parũ disrũpatur rhagoides, ac tenuis humor ad exteriora prolapsus, è tunica effunda-

tur,adeo vt ceratoiden attingat:duo absurda inde accidere necesse est: nempe vt rhagoides tunica decidat in crystalloidẽ, ac spiritus qui à cerebro descendere consueuerat, iam non perueniat ad pupillã, vtpote per vuln⁹ effluẽs. Verùm quod hęc visionem offendant, non solùm vbi ambo conueniunt, sed etiam alterum duntaxat eorum inciderit, satis persuasum arbitror iis, qui non oscitanter, ea quæ nuper diximus audierunt. Igitur tempus est, vt trãseamus ad tenuem humorem: de quo iam quodammodo suprà dixim⁹, saltem hoc, quod visioni officit, siue increscat, siue diminuatur. Id vero quod nondum dictum est, nempe vbi crassior fuerit eius substantia, aut color ipsius abalienatus, quod tũ cernendi functionẽ lædat, iam dicere aggrediamur, Quum igitur crassitudine seipsum vicerit hic humor, exactam cernendi aciem obtusiorem reddet: & quod ad distantiam pertinet, efficit, vt neque ea quæ porro absunt, videantur, neque propinqua, exactè cerni possint. Quod si plurimùm aucta fuerit crassitudo, qualis in suffusione fieri solet, visum prohibebit. Si vero foramen non totum, à contento ibi crasso corpore obtenebratur, sed relinquitur aliqua particula pura: videre licebit

per

per illam res externas, idq́ue nihilo deteri us quàm antea, ſed vnam quamlibet ſolam: neque enim eodem tempore multas ſimiliter intueri datur obviſionis conum, qui ſe ipſo factus eſt anguſtior. Si verò in pupillæ centro exigua conſiſtat ſuffuſio, maneantq́ue partes, quæ in circuitu ſunt, puræ, qui ita affecti ſunt, quicquid aſpiciunt, id veluti feneſtratum eſſe putant: quippe id quod in medio non videtur, ex ciſum eſſe arbitrantur. Quòd ſi iuxta iam dictum humorem, craſſa corpuſcula, diuulſa, & inter ſeſe non cõtinua, appareãt: ſic affectis, viſa quædam obuerſabuntur, perinde ac ſi in exteriore aëre, culices circumferri viderent: ac ſæpenumero veluti ſimulacra quædam apparere imaginãtur, ob craſsiorum humorum copiam. Huiuſmodi verò ſimulacra maximè apparẽt iis, qui à ſomno expergiſcũtur, præcipuè pue ris, & iis qui plurimo † vino madent, aut alio quouis modo caput repleuerũt. Quũ verò humor inter cryſtalloiden & rhagoi den medius colorem mutauerit: ſi quidẽ ad fuſcum declinat, arbitrabitur quis vel per nebulam, vel per fumum ſe videre. Si verò alio quouis colore inficiatur, huius quoque imaginem referent ea quæ ſpectantur. Si verò inæqualiter vel per colo-

† In Ald[...] addẽdum[...] eſt οἶνον.

rem, vel per substātiam, à naturali habitu recesserit: quæcunq; pars ipsius sic affecta, ad pupillæ regionem peruenerit, efficit vt simile sibi visum, in rebus quæ spectantur, appareat: quippe sic affecti & colorem, & substantiam, ac figuram ipsius, extrinsec⁹ se videre existimāt. Ad hoc genus sympto matum pertinent, eorū qui suffusione infestātur visa, neq; nō illorum quibus sanguis è naribus fluxurus est, aut in quibus vomitus speratur, visa ab Hippocr. prodita. Prçterea quibus adeo absoluta est cernendi facultas, vt ne minimum quidē visi bile eos latere posit: si vapores à ventriculo sursum ferantur, præsertim vbi nō probè concoxerint, hos symptomata suffusio ni similia infestabant. Atqui purissimus est iis suapte natura tū crystalloides, tum hic aquosus humor, de quo in præsentia agimus. Symptomatis autem magnitudo ex affectus magnitudine nascitur, non in ijs duntaxat de quibus nuper sermonem absoluimus, verùm etiam in omnibus quç suprà proposuimus. Id quod in similarib⁹ partibus facile patet: quarum intemperies si parua fuerit, paruā quoq; functioni noxā inferet: si maior, ad incrementi portionē, augebitur & offensa: si verò plurimū à naturali habitu recesserit, actionē fundi-

tus

tus abolebit. Haud aliter accipienda sunt. ea quæ de aquosi humoris quantitate substantia, & colore diximus: nam si parū à naturali habitu fuerit aberratum, parua quoq; inferetur actioni iniuria: si plus recesserint, pro quantitate declinationis, increscet actionis noxa: quòd si quam plurimum deflectant, functio in totum peribit. Itidē intelligere oportet, de ijs quoq; quę de rhagoidis tunicæ ruptura, & de pupillę quantitate dicta sunt, siue minus, siue pl⁹, incōmodēt actiōi, siue eā penitus euertāt. Sic spiritus quoque animalis, aut adamussim pur⁹, & veluti ęthereus est: † aut humidus, aut turbidus vt nebula. Atq; quod ad essentiæ quātitatē attinet, vel abūdat, vel exiguus est. Igitur cui simul & multus fuerit, & ęthereus: is res quę porrò distāt, & videre, & exactè discernere potest. Cui verò paucus q̄dē fuerit, sed purus, is vt res propinquas planè discernit, ita distātes haud quaquam videt. Quòd si forte fortuna, & * crassior simul fuerit & multus, res distātes videt quidē, sed nō ad vnguem discernit: queēadmodū cui humidior simul fuerit & exigu⁹, is neque exactè, neque porrò videre potest. Atque de his in pręsentia tantū dixisse sufficiat. Ceratoidis tunicæ ea pars quæ pupillæ obiecta est, si crass-

† Linacrus vertit rectius Vel nebulæ ritu humidus, ac turbidus.

** In impres. legitur ὑγρότερον, id est, humidior. interpres videtur legisse παχύτερον. Linac. autē vertit vtrobique, humidus.*

ſior, dẽſior, & humidior fiat, viſionem offendit: ſic etiam, ſi color ipſius immutetur, ſi vlcere notatu digno infeſtetur, ſi eorum quæ extrinſecus ei adiacẽt, quidpiam ita increuerit, vt eam tenebroſam reddat. Igitur craſsior, denſiorque ceratoides tunica aciem efficit hebetem. Si verò humidior, dẽſiorq; fuerit, ſiue vt ſimilaris pars, ſiue vt inſtrumentum ita afficiatur, non hebetem ſolum obtuſumq; reddit viſum: verùm etiam efficit, vt qui ſic affectus eſt, putet ſe per tenebras, aut nebulam, aut vaporem aliquem, aut per fumum res ipſas intueri. Si verò humores non multitudine, ſed colore peccauerint: ſecundum eiuſdem coloris naturam, παρόρασις, id eſt hallucinatio, ſuborietur. Proinde qui ictero, id eſt regio morbo, laborant, quicquid vident, id pallere arbitrantur: qui verò hypoſphagmate, † hi rubra putãt omnia quæ aſpiciunt. Vlcus verò notatu dignum: viſioni incommodat, non ſolum ob id, quòd redundantem humorem coaceruat: ſed etiam quia efficit, vt cryſtalloides humor ex breui ſpatio cogatur cũ circũfuſo ſplendore conuerſari, procedens autem ad interiora vlcus verſus pupillam, effundit aliquid aquoſi humoris foras. Atque hinc imminet periculũ, ne ſic affectus, ad extremam

† Id eſt quibus ex plaga rupta ſunt in prima tunica venæ.

mam perueniat cæcitatem. Ob id, quibus ea ceratoidis pars quæ pupillæ obiecta eſt, vulneratur: ſi vulnus ad interiora deſcendit, hi magna ex parte obcæcantur. Equidem vidi incredibile quidpiam, & quod antea nunquam videre cõſueueram. Puer quum iuxta pupillam ſtylo pungeretur, effluente protinus aquoſo humore, immu nuta eſt pupilla, ac ceratoides tunica omnino corrugata videbatur: qui mox curatus, viſum recuperauit, inſtaurato ſcilicet paulatim humore, qui antea effluxerat. Sed huiuſmodi euẽtus rarò videntur: quip pe huiuſmodi vulnera magna ex parte cæ citatem inducunt, quemadmodum & prę dictæ cauſæ omnes vbi plurimum fuerint auctæ: ſiue enim valde craſſa, ſiue extremè denſa, ſiue immodicè humida fuerit ceratoides tunica, ita oculis caliginem inducet, vt qui ſic affectus eſt, nihil omnino cer nere poſsit. Sed quid miramur, ſingulas iã propoſitas cauſas, quum auctæ fuerint, vi ſum auferre poſſe, quũ nõnũquã ſola cera toides tunica corrugata, ſimiliter offendat? ſolet aũt huiuſmodi pathema euenire ijs, qui extrema iam ſenectute premuntur: Atq; hoc loco pupillæ magnitudo cõſide randa eſt: ſi enim imminuta eſt, aquoſum quoq; humorẽ imminutũ ſcire licet: ſi ve-

queremur, de ipsis sermonem instituimus. Quippe is nobis nũc animus est, vt methodum perquam generalem doceamus, cuius adminiculo quis inuenire queat symptomatum causas: verùm quia nõ satis est methodũ nouisse, sed multifaria insuper exercitatione, in his quæ particulatim occurrũt, opus est: id quod non ita facilè quiuis præstare potest, ob id exercitationis modum, qualis esse debeat, in oculorum exẽplo, haud grauatè ostẽdimus. Eodẽ pacto ad alias quoq; sensiles facultates peruenies, si in singulis & primũ instrumentũ & alias partes, quæ vsum aliquem illi præstare possunt, consideraueris, & quemadmodum nuper dicebamus, ita distinxeris: nempe quòd sunt morbi quidam, quum potentia ipsa afficitur: sunt alij, qui ad instrumenta pertinent, per quos actio subinde vitiatur. Atqui grauis auditio, surditasq; animãti euenire solent, aut ob auris partem aliquã, aut ob neruum à cerebro descendentem: aut ob cerebrum ipsum, si ea in parte vnde neruus oritur, fuerit læsum. Igitur nerui, cerebriq; offensa, in his haud aliter quàm in oculorum affectibus accidit, reliquarum verò partium noxę illis ad portionem respondet: verùm non omnino similis est lęsio. Eandem enim habet

dicare poterit,idq; adeò si in ipsis quoque & primam sentiendi particulam, & item alias quæ ad totius instrumenti complementū pertinēt, nouerim'. Porrò jam demonstratum est linguam duplici facultate præditam,per alteram enim sentit, per alteram provoluntatis imperio mouetur. Itaq; quum duplex ab ipsa prodeat actio: in præsentia eam, vt sensile duntaxat instrumentum, cōsiderādum proponimus. Porrò instrumentum quo odores percipiuntur,ipsos cerebri ventres esse demonstrauimus. Igitur in gustandi sensu huiusmodi deprehenduntur symptomata,nam vel sapores haudquaquā sentit, vel vitiosè sentit. Quum verò vitiosum (vt ostendimus) bifariam dicatur, vel enim debiliter sentit,vel(vt ita dixerim) deformiter, aut deprauatè: alterum hebeti aciei in visu,& graui auditioni in auditu,proportione respondet: alterum verò, nempe deprauatus,aut deformis gustus,visioni respondet, vbi quis aut circa colores, aut figuras, aut magnitudines, aut habitus fallitur: quod si in auditu euenerit, obauditio vocabitur. Cæterum iam propositorum symptomatum causæ sunt morbi, qui gustandi,tum functionē,tum facultatē impediunt,& in similari linguæ corpore, & in

cir

circundante ipsam tunica, & in mollibus neruis, atq; eo maximè cerebri spatio, vnde illi exoriũtur. Atqui omniũ iã dictarũ partium morbi, alii quidẽ satis manifesti sunt: depràuata verò saporum sensio, quũ lingua alieno quopiam humore fuerit imbuta, euenire consueuit, vt omnia quæ gustauerit quis, vel salsa, vel amara esse, vel aliũ quempiam saporẽ absurdũ, siue is effabilis sit, siue ineffabilis, habere videantur. Quemadmodum enim per suffusiones, videndi facultas, foris cernere videtur ea, quę in oculo apparẽt: ita & gustandi vis internum linguæ affectum, rebus sensibilibus inesse putat. Quippe per morbum regiũ, bilis amarorem, non linguæ, sed saporum quos degustat, pathos esse suspicatur: atq; per alias quasdam affectiones, cibos vel salsos, vel acidos esse putat. Adueniẽte enim extrinsecus re sensibili, mouenteque vitiatum humorem, qui hactenus in lingua quietus latebat: sentit quidem gustandi facultas, non rem sensibilem extrinsecus aduenientem, sed abundantem in lingua humorem. Atque euenit nonnunquam, sed raro, citra vllius rei degustationem, vt humores linguam imbuentes sensu percipiantur, vbi adamussim absoluta fuerit gustandi facultas. Haud absimile sympto-

ma ei, quod in oculis vſu venire ſolet, quum ob ventriculi affectiones, ſuffuſione ſe laborare quiſpiam putat. Aut vbi ſonum aures percipiunt, nulla re extrinſec* obſtrepente, ſed ipſa circa mẽbranas motione, phantaſma tranſmittente. Aut etiã vbi nares, ob humores in ipſis contentos, odore quodam afficiuntur. Sed quum de naribus incidit ſermo, ipſis quoque, ſicuti & lingua, duplici facultati ſubſeruientibus (nam & odorandi & reſpirandi facultatum veluti terminus quidam conſtitutæ ſunt) ſati' fuerit de his quoque haud aliter quàm de ſuperioribus diſſerere. Et enim ſi moribus aliquis ipſis acciderit, ita vt meatus impediatur: olfaciendi facultas, vel minus probe odores percipit, vel eos omnino non ſentit. Nam ſi vehementer contritus ſit naſus, aut ſi polypo, aut (alio) quopiam tumore præter naturam infeſtetur: meatum qua ſpiritus trãſire ſolet, obſtruet, atque hui' generis eſt phlegmone in mẽbrana ipſius interna oborta: itidem eæ res quæ circa oſſa, quæ à percolandi adminiculo ἠθμοειδῆ à Græcis vocantur, aliquid, vt † vel membranas ibi cõſtitutas, (vel ipſa quoque oſsium foramina obſtruere poſſunt. Nã & ab his offendi tur olfaciẽdi ſenſus: id vero multo magis,

† *In græ. impreſ. eſt ἢ τοι τὰς ταύτης μήνιγγας quos ſequitur interpres. in anti. autem legitur ἢ τοίγε αὐτὰς τὰς μήνιγγας id eſt, aut etiam in cerebri inuolucris. et ita vertit Linacrus.*

* f. cir.

*si circa propagines quæ à cerebro exortæ, in hasce particulas deriuantur) fiat obstructio. Quippe & in destillatione, & grauedine, & omnino in his, quibus vel ambustio, vel refrigeratio, anteriores cerebri vẽtres humore oppleuit, non solum spatia ibidem obstruũtur, sed & spiritus ipse, qui in ventriculis cõtinetur, & ambiens ipsum cerebrum, intemperie quadam afficiũtur. Denique insignes iam dictarum partium tum contusiones, tum sectiones, odorum sensionem, vel difficilẽ reddunt, vel omnino prohibent. At verò olfactio veluti deformis & deprauata, in his partibus fieri solet ob indigenam quandam intemperiem, quæ fœdum odorem eructans, eos vapores qui à vicinis corporibus ad olfaciendi facultatem feruntur, interturbat. Nec absimile videtur quod huic facultati accidit symptoma, ei quod regio morbo laborantibus, in gustandi iudicio accidere dictum est.

* *Linac. vertit ita: si in processibus cerebri, qui ad has perueniunt particulas.*

Scribit symptomatũ tactus aboliti, debilis, deprauati, aut dolentis causam esse, nerui affectũ, impedientẽ trãsitũ facultatis animalis in partẽ, & causam adfert cur aliquãdo pereat sensus in parte illæso motu, aut cõtrà cur motu ꝑdito sensus remaneat.

CAP. V.

Ita-

ITaque quum de sensiõe quæ proprias habet in animante partes, satis iam disputatum sit: de sensu omnibus quomodo libet sentiẽtibus communi, iam dicamus: atqui tactum hunc ipsum nominant. Accidunt verò & huic symptomata, quæ reliquorum sensuum symptomatis, propor tione respondeant: ac communi appellatione contenta sunt, quia propriam non habent, quemadmodum nuper dictorum aliqua. Neque enim in gustandi, neque ol faciendi facultate, eiusmodi habemus nomina, cuiusmodi sunt in visu, amblyopia, id est visus hebes, cæcitas, hallucinatio. In auditu, barycoia, id est grauis auditio, & surditas, & obauditio: nihil enim refert in presentia quibus vtaris nominibus. Atqui †hæmodiæ tum nomen, tum symptoma ad tractricem facultatem insigniter pertinere videtur: verùm in ore, & dentibus maximè accidere consueuit, ob acidos acerbosque cibos. * Stupor autem in toto corpore maximeq; membris (quæ Græci κῶλα vocãt) euenit ex sentiẽdi mouendique difficultate compositus affectus: ac manifestè videtur, tum à refrigeratione, tum à compresſione neruosorum corporum, denique à torpedinis, marini animalis, contactu prouenire: vbi verò citra ali-

† id est dentium stuporis.

** ἡ νάρκη est in græ. torporẽ vertit Linac.*

quam huiusmodi causam vltro acciderit: tum vel vitæ ignauiam, vel ciborum multitudinem, aut crassitiem, lentitudinem, aut solitæ secretionis suppressionem antecessisse necesse est. Igitur continua causa aut continens, aut inhærens (licet enim pro cuiusque arbitratu eam nominare) affectus nerui est talis, vt facultatem illi à principe parte missam, impedire possit. Atqui impedietur, si neru° meatu aliquo præditus (vt manifestè in oculorum neruis videre licet) vel obstructus est, vel compressus: si verò meatum nõ habet, idem illi eueniet, si vel constringitur, vel refrigeratur. Quum igitur meatum aliquem obtinet neruus, per quem veluti per viã animalis facultas è principe parte ad ipsum delabatur: ea si fuerit obstrúcta facultatem impediri, nemo non perspicuè intelligit. Quod si neru° extrinsecus cõprimatur, meatum fieri arctiorẽ, ne hoc quidẽ in obscuro est. Si verò nullus fuerit meatus, sed vti solis radij per aquã aërem ve trãseunt: eodem modo facultas à principio per neruorũ corpora permeauerit, ipsa in transitu impedietur, si ad immodicam crassitudinem nerui permutentur. Sed neq; hoc plurimis argumẽtis probare oportet, pręsertim apud eos qui memine

minerunt eorum, quæ aëri, aquæve accidere solent. Quippe nebula, fumus aut nubes in aëre constituta, cœnum vero aut limus in aqua, impediũt, prohibentq́;, quominus solis splendor, syncerus pertrãseat: haud aliter neru' si immodicè crassus, durusque fuerit, dilationem offendet facultatis: fit autem crasßior, si viscidis crasßisq́ue succis nutricetur, aut vbi violentò frigore constringitur. Quod si ab aliquo corpore duro extrinsecus adueniente cõprimatur, ne sic quidem præbebit expeditum facultati transitum: huiusmodi redduntur nerui vbi vel laqueo, vel manibus constringuntur, aut vbi extrinsecus à vicinæ partis phlegmone, vel scirrho comprimuntur, aut vbi luxatis, fractîsve oßibus fiũt arctiores. Principio igit̃ stupidi fiunt, deinde omnino & sensum & motũ amittunt: nominaturq́ue huiusmodi ipsorum vitium, paralysis, id est neruorum resolutio. Hæc quanquam sub eodem genere, quo stupor, continetur: differt tamen magnitudine. Quod si omnes neruos occupauerit, derepente vniuersum corpus & sensu, & motu priuabitur, succedetq́ue citißima mors, quod ꝓhibita sit spiratio. Si spinæ principiũ lædat̃: solæ partes capitis quo ad vixerit animãs, & sẽtire, & moueri

possunt. Quòd si cerebro quoque noxa acciderit: qui sic afficiuntur, ij omnium partium, & cōtinentiam, & sensum illico deperdunt, atqui viuere possunt vtriq;, tāto scilicet tempore, quanto viuunt ii qui praefocati strangulātur. Spina verò in inferiori loco affecta, nempe sub ea neruorū propagine, quibus thorax attollitur, idq; vel ob luxatam aliquam vertebram, vel alio quouis modo: si quidem ingēs fuerit affectus, partes inferiores omnes subito & sentiendi & mouendi facultate priuantur: si verò non ita vehemens fuerit affectus, stuporem inducet: atque ii mortē effugiūt, quandoquidem spiratio in ipsis seruatur. At quibus quinta spinae vertebra affecta est, eorū manus omnino & sensum & motum amittunt: quibus verò sexta, iis nō in totum sentiēdi, mouendique facultas perit, quippe primę brachii partes illęsę seruantur: id verò multo magis, si septima spinae vertebra fuerit affecta. Octauę vertebrae affectus, perquā exiguam: hac vero inferiorum nullam penitus noxam manibus inducere possunt. At vero vox perit omnibus, quibus ea spinae pars quae in ceruice est, fuerit affecta: verùm id non ab omnibus spinae vertebris euenire solet. At quātū offensae singulae posint afferre, in

tra

tractatione de voce iam definitum est: in præsentia verò plura quã opus erat, dixisse mihi videor. Neque enim omnia particulatim in hoc opere symptomata persequi propositum est: satis enim fuerit eorũ causas generatim explicare. In vniuersum igitur dicamus de cuiuslibet sensus offensa quòd nerui qui sentienti vim suppeditant, dum valẽt, iidem eam lædunt, si fuerint affecti. Si vero cuiuslibet nerui facultatẽ scire cupis: eos qui ad respirationẽ conferunt, in libro de respiratiõis causis: eos vero qui ad vocem, in libello de voce explicauimus: atque de his in alijs tractationib', accuratè scripsimus. De neruis vẽro qui ceruici, capiti, vẽtri, manibus, & cruribus, facultatem suppeditant, & alii quidã superioris memoriæ nõ inutiliter scripserunt, & nos de iis in libro de corporũ sectione tractauimus. At in pręsentia de sensuũ symptomatis sermo nobis proponebatẽ. Quũ itaq; partes quę † ab impetu per neruũ aliquẽ mouẽtur, ipsæ protinus per eundem neruũ sentiendi quoque functionem obtineãt: duplex necessario noxa sequitur illius nerui ✳ morbũ: altera enim sensum, altera motum impedit. Quomodo igitur quarũdã partium mouendi quidem ab impetu functio resolui videtur, il-

† *καθ' ὁρμὴν est in græ. quod Volũtarie Vertit Linacrus.*

✳ *Male legitur in græ. impreßis σώματι, id est corpus, pro νοσήματι.*

læſa ſentiendi facultate, ac quomodo rurſus aliæ mouentur quidem, ſed non ſentiũt, in lingua & oculis, nihil habet ambiguitatis: quippe quæ duplici neruorũ genere participãt. At in quibus membris duri duntaxat nerui inueniuntur, hac ratione quæſtio explicabitur. Si ablata cute, ſubiectus muſculus qui nudus eſt, immobilis videatur, ſentiat verò tangentes: exiguam ei noxam accidiſſe putandum eſt: nempe quòd tantam animalis facultatis partẽ ſuſceperit, quanta ad ſenſus excitationem ſufficiat, ad muſculi motum non ſufficiat. Quippe tactionis ſenſus, pati aliquid potius, quàm agere, deprehenditur: proinde ab exigua facultate functio eius perfici poteſt. Muſculorũ verò motus, in agendo, non in patiendo, actionis efficaciam habet: is enim totum corpus transferre poteſt: quapropter plurima indiget animali facultate. Neque aliter accidere vnquã deprehendes, vt moueatur quidẽ nudus muſculus, ſed non ſentiat. Verum nihil mirum videri debet, ſi adiacens illi cutis ſenſum amittat, muſculus verò ipſe moueatur. Quemadmodum etiam vſu venit, vt duorum muſculorum, alter quidẽ moueatur, alter verò immobilis ſit. aut alter quidem ſentiat, alter verò ſenſum

ami

amiserit. Id verò ob hanc eis causam euenire solet, quod neruus alterius læsus est, alterius vero mansit illæsus. Sic etiã fieri potest, vt neruus per cutem dispersus offẽdatur: qui vero per musculum spargitur, noxa vacet. Sic econtrario fit, vt illęso cutis neruo, lædatur neruus musculi. Atque de propositis symptomatis hæc dixisse satis sit.

Assignat causas doloris & delectationis, quæ symptomata sunt omnium sensuum, dissimili tamen efficacia. Dolor ab ijs excitatur, corpus celerrimè à naturali habitu ad eũ qui est præter naturam conuertunt: qualia sunt subita alteratio & solutio cõtinui. Delectatio verò contra, ab ijs quæ corpus ab habitu præter naturam ad habitum naturalem celerrimè reducunt. Hæc ita esse in singulis sensibus aptissimis argumentis confirmat.

CAP. VI.

DElectatione vero ac dolore, omnes sensus affici possunt, sed dissimili efficacia: quippe visus parum afficitur, tactio vero & gustus, maximè: mox ab ijs olfactus, atque hũc sequitur auditus. Sed quæ est communis omnium causa, & quæ singulorum propria? Communis quidẽ, quam & Plato in Timæo his verbis explicat, Pathos, præter naturam volenter &

affatim incidens,dolorem excitat: quum verò ad naturalem habitũ redit, idq; rursus affatim,delectationẽ inducit, at quod sensim,paulatimq́; fit, sensu non percipitur:atq; hactenꝰ Plato. Hippocrates verò Platone vetustior. Ab his(inquit) quæ naturam mutant ac corrumpunt,dolores excitãtur. Hac quidẽ vocula(corrumpunt) & celeritatem & vehementiam trãsmutationis indicãs. Porrò vehemẽtes eueniũt in tactu à naturali habitu transmutationes,ob violentum calidi frigidique occursum:atque ob eas res,quæ contundere,secare,extendere, aut erodere possunt. Nã siccitas, humorque, nisi calori frigoríve coniungantur,occursu suo vim inferre nõ consueuerunt:id quod facilè intelliges, si librum quem de simplicibus medicamentis conscripsimus,perlegeris, vbi iam demonstratum est,frigus aliter quàm calorem delectationem inducere: ipsum tamen eo quod substantiam diuellit, dolorem etiam excitare. Quippe res quæ ita contundunt,aut intendũt, vt corporibus rupturæ periculum afferant, planè inter dolorum causas numerandæ sunt: similiter etiam quæ pungunt,aut secant. Nam & sectio & ruptio dolorẽ infert, non post eaquam facta est: sed omnia huiusmodi,

di,dum fiunt, inter dolorum caufas reputantur. Nifi ad huiufmodi pathemata dolor aliquando ex accidente fequatur, vbi acres humores vlcerata mordent corpora. Interdum innata quoq; phlegmone, vltro citroque partem intendendo, dolorē efficit. Idem fubinde facit immodicus calor, aut humorum acrimonia. Porro guftandi quoque inftrumentū, quatenus tactione participat, à iā dictis caufis diuellitur: quatenus vero ad guftum propriè pertinet ab amaris, acidis, acerbis, atque acribus, quādoquidem horum fingula, vt demonftratum eft, continuum diuidere poffunt. Iam à prædictis humoribus refoluti vapores, odorationem quoque infeftant: nam & ipfi continuum diuellunt. Auditionem vero turbat vox, & afpera, & grauis, & maxima, & celerrima: atque quum hæc omnia in terrifico tonitru coire videantur, accidit, vt nonnulli audiendi facultate priuati, omnino furdi euaferint: †quippe violētus ftrepitus audiēdi inftrumentum diuellebat. Ac vifum quoq; illuftrifsimi fplēdores & offendunt, & fimul corrumpunt, eo quod difcriminandi, aut difcutiendi, vim plurimā obtineāt: atqui difcriminātia ad diuidētiū quodāmodo genus pertinent. In omnibus vero fenfi-

†In græco. eft τῶ διακρίνειν ἐπιπλεῖστον, id eft eo quòd nimium fecernant.

bus,vnũ commune deprehẽditur, nempe pathos quod molestum est,ex discretione simul & diuisione continui,vnitique corporis consistens,si modo affatim inciderit:affatim verò dico, si vehemens fuerit simul & repentinus occursus. Hoc Plato quoq; volebat,quum diceret molestã sensionem,in corporibus sensu prędítis fieri, si compositum ipsis pathema,ex violento simul & conferto acciderit: neque refert siue molestam, siue tristem, siue laboriosam,siue doloris participem voces. Neque etiam si ipsum quoq; pathema molestiã, tristitiam,dolorem,laborem, dolẽtiámve appellaueris. Atqui perspicuum est, Platonem ipsum, pro eadẽ re dictis nominibus omnibus promiscuè vsum & in Timæo,& in Philebo: præterea in alijs libris, sicubi de ipsis sermo inciderit. Cæterùm quod Hippocrates in eadẽ sit sententia,tum de nominibus, tũ de rebus, & ex paulo antè dictis, & ex ijs quæ in reliquis suis libris omnibus conscripta reliquit, manifestum est. Atq; hoc modo in omnibus sensibus, molestũ pathos oriri solet. At delectatio illi aduersa,à cõtrariis nascitur causis: nã si ob diuellentia quis periculum subierit, delectationem reuocabit, si affatim ad naturalem habitũ redierit. Proinde sicut cęruleus

ruleus color, iucundiſsimum eſt oculis ſpectaculum, ita ſplendor candicans, qualis in ſole cernitur, maximum ipſis dolorẽ inferre poteſt. Poſt hos ſecundo loco, moleſtus quidem eſt color albus, delectat vero fuſcus: nam ille ipſius eſſentiam diſcriminat diſſoluitq́;, hic eã cogit, idq; citra violentiam: neq; ſatis erat, ſi cogeret duntaxat, ita enim color niger eſſet iucũdus: id vero haudquaquam verũ eſt: ipſe enim viſionis eſſentiæ aduerſatur, eo ꝙ ipſam cogit violentius quàm vt eam ad naturalem habitum, reducat. At vero id quod nigerrimũ eſt, ſplendidiſsimo minus offendit: nõ ſanè quod cõtrariũ minus moleſtũ ſit quàm exceſſus qui eſt in genere cognato. Nam quod ad hanc rationẽ pertinet, nigrũ ſplendidiſsimo eſſet moleſtius, ſed quia viſionis inſtrumentũ ſplendidũ eſt, & omnis ſplendor tenui ſubſtantia cõſtat: nigrum vero ſemper craſſum. Atqui natura comparatũ eſt, vt tenuis quæq; res, craſſiore in agẽdo ſemper ſit efficacior. Quũ itaq; in idẽ viciſsim peruenerint, & tenue, & craſſum, minus agit craſſum in tenue: quippe ꝙ ad patiẽdũ ab hoc magis ſit idoneũ. Sic igitur ſol quoq; viſioni officit: nã quũ tenuior ſit, ꝓtinus ipſam diſcriminat diſcutitq́;. Atqui ſi eſſentię familiaritatẽ

ſpe

ſpectes, ipſum minus, quã ea quæ contraria ſunt, offendere cõiicies. Si vero robur, quo ad actiones efficacior, violentiorque eſt, conſideres: ipſum perquam celeriter viſioni incommodare poſſe deprehendes. vt enim breuiſsimo tempore ſplendor ſolis viſionẽ afficere poteſt: ita ſi quis diu in vaſtis tenebris degat, vt nullũ omnino ſplendorẽ intueatur, is luci reſtitutus, nihil penitus videre poterit: quippe extinguitur quodã modo viſio, & craſsior, obſcuriorque redditur. Igitur nõ ab re cæruleus color, vt viſioni iucundiſsimus eſt, ita maximam quoque præbet vtilitatẽ, ſed nõ illi quæ à ſole diſcuſſa eſt: huic enim, vt pote iam ægrotanti, contrarium adhibendum eſt remedium: ei verò quæ ſana eſt, ſed fatigata, color cęruleus, fuſcuſque, ſaluberrima ſunt ſpectacula. Neq; enim diſcriminant, vt ſplendidum, & album: neq; ipſam cogunt, ac extingunt, veluti nigrum. Porro fuſcus color, ex albo nigroq; mixtis naſcitur. Cæruleus vero vbi candor ſplendori iunctus, non ita parum in nigrum degenerat. Sic enim de vtroque Plato nos docuit, nempe quod ex contrariis, extremiſque inuicem mixtis, medii moderatiq; colores naſcuntur: qui vtroſque exceſſus, qui viſioni incommodant, fugientes, moderatas

ratas

ratas ipſius fatigatiões corrigũt, haud aliter quàm color niger, morbos à diſcretione euenientes. Verũ delectatio, quã excitant, non perinde atque in cæteris ſenſibus manifeſta eſt: quandoquidẽ neq; dolor æqualis deprehenditur. Nam viſio ob tenuitatem, neq; dùm diſcriminatur, vim patitur, idq́ue ob eſſentiæ familiaritatẽ, quippe per ſe feſtinat, vt occupet id ad qđ ducitur: neque dum cogitur ob trãſmutationis imbecillitatem. Iam enim demonſtratum eſt, tenue à craſſo debiliter cogi. Atque ea quæ ad videndi, vel delectationem, vel moleſtiam pertinent, ſic ſe habere vidẽtur. In auditu verò, vt iucũdiſsima vox cẽſetur ea, quæ & leniſsima eſt, & tardiſsima, ita aſperrima, citiſsimaque maximam ſolet inferre moleſtiam. Verùm hæ ſano adamuſsim ſenſui vel iucundæ, vel moleſtę putãtur: quũ verò fatigatus eſt, præter lenẽ ac tardam, exigua quoq; amica eſt: at quũ ęgrotat, leniſsima ſimul, & tardiſsima, atque perquã exigua, atq; iis multo magis abſolutum ſilẽtium, quippe hoc proportione quodãmodo reſpondet tenebris, dum viſioni comparãtur. Vnde quæſtio orta eſt, num tenebrę ſint lumini contrariæ, an ſint priuatio lucis, quemad modum ſilentium vocis, & quies motus.
Porro

Porro in hoc ſenſu manifeſtior apparet delectatio, eo quod craſsiori cōſtat eſſentia: atq; manifeſtior etiam, quàm in hoc, voluptas percipitur à ſenſu olfactus, qđ ipſius quoq; eſſentia craſsior ſit, etem̃ vt aër craſsitudine ſplendorem vincit, ita vapor aëre craſsior eſt. At vero ſplendor ad vidēdi, aër ad audiēdi, vapor ad odorandi ſenſum pertinet, quemadmodū ad guſtum humida natura, ad tactionem vero ſolidum corpus. Quum vero odorādi, guſtandique ſenſus, cognati ſint vno duntaxat, nempe eſſentiæ tenuitate differentes (quippe vapor eſt humor extenuatus) de ambobus ſimul dicemus, perſpicuitatis gratia à guſtu initium faciētes. Igitur quū à naturali habitu nō declinat, maximam ei voluptatem afferūt omnes ſucci dulces pingueſque, quippe oſtēdimus, omnes huiuſmodi, eſſe corporis eſſentiæ perquàm familiares. Si vero ab aliquo ipſum infeſtante, nuper vitium cōtraxerit, pingues, nam ij exaſperatas partes maximè lenire ſolent. Vbi vero morbo afficitur, tū ſucci contrarij ijs qui morbū excitarunt, delectare videntur, ita vt craſsis opponantur qui tenuent: tenuibus qui incraſſent, lētis ij qui ſecandi vim habeant, exaſperantibus lęuigātes, frigidis calidi, calidis frigi-

di,

ccis humẽtes, humẽtibus aridi: de quo
atura, libro quarto de ſimpliciũ me-
nentorũ potentia, iam diſputauim⁹.
liber ille haudquaquam oſcitanter le
us eſt, quippe qui nõ mediocrem cõ-
ſum, tum ad dignotionem, tum ad
ndi rationem. Etenim ventriculus, &
ribus ſeruit, & venis huiuſmodi ſuc-
ppetens, quales illis ſunt neceſſarij.
præcedit linguæ iudicium: ipſa enim
tiſsimùm delectatur ſuccis, quibus
riculus indigere videtur. Atqui con-
s huiuſmodi, potiſsima cauſa eſt, ve-
ipſam tunica. Lingua verò varijs tẽ-
us, aliâs alio delectatur extrinſecus
ccurentium ſuccorum genere. Inter
dulces ſucci in ipſa contenti ſenſu
piuntur, voluptatemq́; inducunt: hu
odi verò dulces ſucci pituitæ † ſpe-
referunt. Quoties enim lingua, ef-
venis ſanguinis dulcedinem ſentit:
de afficitur, ac ſi à re quapiam ex-
cus adueniente imbuatur. Odora-
autem vis, quod ad ea pertinet, quæ
ſecus vel voluptatem, vel mole-
afferunt: guſtandi facultati pro-
one reſpondet. At vapores qui in-
cus continentur, ſi moleſti fuerint:
nt (vt antea dictũ eſt) ſenſu percipi.
Sua

† *In græ. eſt, ſpecies ſunt.*

Suaues verò, & omnino delectabiles: sensum latent: quemadmodú in visu quoq;, & auditu, ij enim sensus quia tenui essentia constant, nullum in se ipsis patiuntur vehemētem affectùm. Tactus verò & gustus, quanquam ne ipsi quidem in se vehementem affectum sustinent, subeunt tamen interdum huiusmodi quendam affectum, sed exiguum. Lingua quidem (vt dictum est) à dulci pituita, quam & Praxagoras, & Philotimus, magis proprio vocabulo, dulcem succum nominant. Tactio verò in seipsa motum sentit, quum ad naturalem redit habitum, ijs quæ ipsum intrinsecus exasperabant, vel concoctione, transpiratione, vel secretione, quam sensus notare possit, expulsis. Nam & lassitudine affecti, si postea quàm corpus, & frictionibus, & balneis fuerit emollitum, quieuerint: haud obscuram sentiunt voluptatem. Atque etiam magis in ipsis iam dictis motionibus delectantur, fatigatis partibus ad naturalem habitum reductis. Non solum autem balneum, & mollis ex plurimo oleo frictio, fatigatas partes voluptate afficiunt, verum etiam mollis, suauis & lenis attrectatio, ingentes dolores, non mediocriter mitigare solet. (Sed hæc inter externa pręsidia numerantur.) Atq; de

(*In græ. est* ἔξωθεν

δὲ ἤδη τὰ τοιαῦτα, id est, huiusmodi autē iā externa existunt: paßiones verò aut affectus erat subaudiendū. Hoc enim ad paßiones sensuū referēdum est, nō ad præsidia, quod de his modo nō sit sermo, neque alibi in hoc libro futurus sit, vide nostras annotationes.

de omnibus ijs deinceps dicendum est: neque enim de olfactu necessarium est nos aliquid dicere, quandoquidem gustū proportione imitatur. Atque vt simpliciter dicam, delectamur in huiusmodi sensus genere, ad naturalem habitum redeuntes, id verò semper ex contrariis accidere solet, si quis vtique idoneum contrarium acceperit: idoneum autem est id, quod in primis & per se, non per medium alterius rei interuentum, effectus causa fuerit. Atque in eiusmodi omnibus, euidens, siue procatarctica vocata causa† spectanda est. Verùm quod Hippocrat. in aliis subinde locis inculcat, illius hic quoque admonere videtur quum inquit: Est autem vbi in rigore neruorum sine vlceratione, iuuene bene corpulento, æstate media, atque multæ perfusio calorem reuocat, calor verò hæc soluit. Quòd si quis parum accuratè huiusmodi verba perpendat, induci poterit, vt credat, à similibus affectus præter naturā curari posse, veluti neruorum rigorem à frigida lauatione: sed non ita se habet ve-

† Οὐ σκεπτέον est in græc. id est nō spectāda est.

Et fortè interpres hæc ex arbitrio peruertit, opinatus adhuc de præsidijs non de sensuū affectibus haberi sermonem.

ritas. Quippe omnis affectus præter naturam, ad naturalem habitum reducitur per contraria, quemadmodum rigor neruorũ per caloris reuocationem. Quòd si confertim hoc fiat, nõ sine voluptate perficietur curatio: si verò paulatim, sensu nõ percipietur, ad naturalem habitum reditus. Haud aliter transitus ex naturali statu, in eum qui pręter naturam est, si affatim fiat violentus est, & omnino dolorem excitabit: si verò paulatim, sensum latebit. Proinde quibus sensim in corpore increscit: non secundum naturam affectus, licet ille sensum effugiat: quum tamen ad naturalem redit habitum idque affatim, sensum voluptatemq́; inducit. Atque hoc potissimum per ea, quę nobis maximè sunt familiaria, qualia in gustu sunt dulcia, in olfactu verò quæ illis proportione respondeant, vocantur verò odorata. Porrò genitales partes proprio quodã, & eximio sensu afficiuntur, vnde & validissima prædicæ sunt facultate: expultrice quidem genitalis seminis in masculis: in fœminis verò, tum hac in testiculis, & seminariis vasis, tum attractrice per totum vterum. Atque natura comparatum est, vt genitalis seminis, tum secretionem, tum comprehensionem, ingens comitetur† voluptas. Verùm

† ἐπιθυμίαν τε ἅμα καὶ ἡδονὴν, id est, cupiditas simul & voluptas.

rũm molestia quæ ex redũdante, ac intus retento semine oritur, paulatim & longo tẽporis tractu increscit. Proinde licet mirum in modum cruciet, vt aliàs diximus: quod tamen ad vehementiam pertinet, à voluptate qua per venerem afficimur, lõgè vincitur. At quia affatim excernitur, pro reditus, ad naturalem habitũ celeritate, voluptatis quoque magnitudinem ad portionem habebit.

Ventriculi orificium cibi & potionis appetentiæ præcipuũ instrumentũ, quia exactissimo sensu præditũ est, proprio affectu aut aliarũ partiũ cõsensu laborãs infestatur varijs symptomatibus, quorũ causas toto hoc capite exactissimè persequitur Gal. CAP. VII.

RElíquum est, vt ea quæ ventris osculum, quod cor nominant, symptomata infestant, persequamur: nam & ipsa ad tactionis genus pertinere videntur: nullaq; pars est, quæ vel adeò exactè sentiat, vel principum partiũ vtranq; pro suarũ affectionũ modo perinde afficiat, atq; vẽtriculi osculũ, ac consueto nomine stomachus nominatur, non vetustis duntaxat philosophis, verumetiam medicis. Porrò syncopes ea species, quam stomachicã vocant, inter huius partis symptomata numeratur: quẽadmodũ & † cordis dolores,

† Καρδιαλγίαι, id est, oris vẽtriculi dolores.

vt vocant, id verò secundũ alterám ipsius appellationem. Itidem dyspnœa, id est difficilis spiratio, & apnœa, id est spirationis abolitio & † strangulatio, & morbus comitialis paracope, id est mentis abalienatio, seu delirium, insania, quam melancholiam vocant, huiusce partis occasione euenire solent: at hæc omnia per consensum accidunt. Abolitam verò & difficilem & deprauatam appetentiam, ipsa per se sustinet. Voco autem abolitam appetentiam, quum quis nihil omnino appetit: difficilẽ eam quæ imbecilla est: deprauata autem appetentia partim ad immoderatã cibi, potionisq; exhibitionem vertitur, partim ad alienæ qualitatis desiderium. Itaque de omnibus his deinceps disseramus à familiaribus ipsi symptomatis auspicantes. At qui hęc naturales ipsius particulæ functiones sequũtur, ob quas à cerebro maximos neruos requirebat, propter quos excellentiori hoc præ cæteris partibus omnibus, sensu prædita est. Quum enim quodlibet animal in ambientem aërem per cutem dissipetur: principio partes cuti subditæ inanes reddũtur. At natiua harũ facultas est (quemadmodum in cõmentariis de potentiis naturalibus demõstrauimus) vt cibum ex vicinis partibus ad sese alliciant,

† Δῆξις est in Græ. id est morsus.

vt

impleatur id quod erat inane:mox illæ
rſus ex ſibi vicinis:ac tertio loco hæ ex
i propinquis:ita ex proxima quaq; par
facto ſemper celeri tractu,perinde quaſi
choro quopiam, tandem venæ ad ven-
culum productæ,inanes euadunt: quæ
conſueuerunt,& poſſunt cibum ex ven
culo ad ſe conuellere, veluti ſtirpiũ ra-
ces in terram demiſſæ.Quippe tota hæc
tio,quum non ſit animalis, ſed natura-
,haud aliter in animalibus quàm in plã
perficitur.Igitur terra ventriculi vice
antis tantiſper promptum abũdantem
ue cibũ miniſtrat, quoad anni tempora
aturalem temperiem ſeruauerint: veluti
aliquãdo ob ſqualoris exceſſum humor
ſius exaruerit,ſtirpes quoque ob alimen
penuriam exareſcent. Animalibus verò
pote quæ terræ(prĝter pauca quĝdam)
on adhærent,fabrefecit natura ventricu
i, veluti promptuarium quoddam cibi,
uemadmodum ſtirpibus terram,addidit
nſuper facultatem, qua penuriam ſenti-
et, vt animalia ad cibum, potionemq́ue
xcitata,eodem tempore implerentur,vo
aturq́ue huiuſmodi plenitudinis deſide-
ium,appetentia:hæc ortum habet à pe-
uriæ ſenſu,quum venæ ex ipſo ventricu-
o trahunt,veluti mulgentes,ſugentesq́ue

Ventriculus verò huiusmodi suctionem non ferens, sed tanquam diuulsus, huius molestiæ remedium, cibum exquirit. Sic enim venæ ad exhibitum cibum conuersæ, iam ex ipso non ex ventriculo trahunt alimentum. Fit autem post cibi sumptionem, vt simulatque venæ ad cibos se conuerterint: ventriculus quoq; trahat ex ipsis ad sese, quantum antea venæ ab ipso detraxerant. Igitur suctionis sensus, est fames. Reliquorum vero duorum symptomatum, alterum venarum suctionem prę uenit, obtinetque homonymam cum altero appellationem, nempe appetentiam: & ad naturalem pertinent actionem, nō ad animalem. Alterum verò, puta inanitio, hanc ipsam appetentiā præcedit. Omnia itaque huiusmodi symptomata, ordine se inuicem comitantia, ad quinarium numerum reducuntur. Primum omnium est inanitio: Alterum est inanitarum partiū naturalis appetentia: Hác sequitur per venas ventriculi exsuctio: Deinde suctionis sensus, postremò ipsa animalis appetentia, omnium vltima. Atque hanc functionem aboleri contingit, si vel suctionis sensus pereat, vel suctio non fiat, vel corpus non inaniatur. Itidem exigua erit appetentia, si iam dictæ affectiones non pereát quidem,

dem, propius tamen ad abolitionem acce dere videantur. Deprauata verò fit appetentia, si vehementiæ modum excedit, ac vocatur à nonnullis canina, quum vel ob acidi humoris vitium ventriculus mordicùs infestatur: vel vbi totum corpus, immodicè dissipatum, assidua indiget nutricatione. Quippe frigidi humoris vitium, rosionem, quæ suctioni proportione respondeat inducit, ac appetẽtiam, haud aliter quàm naturale pathema, excitat: atq; ibi magis quàm potionis desiderium affert: idque propter refrigerationem. Si verò salsi, aut biliosi humoris vitio, mordicationem senserit ventriculus: potionem ma is, quàm cibos, desiderabit: quippe huius nodi humores, præter hoc quòd ventricu m calfaciunt & exicoãt (vnde sitis cau- prodire solet) etiã succos, tum in ipso, m in venis, fundere possunt. At sympto a quo, succi funduntur, partes continen s replet: haud aliter (opinor) quàm eas igus inanit. Itaque ad famem excitanm, frigus in ventriculo, nõ parum con- t: nam, & vacua reddit corpora, ac ipsom tunicas cogens constringensque, faem suscitat. At inter potissimas† conti- tesq; causas quibus fames impeditur, ca numeratur: quippe qui solida corpora

† *In anti. legitur nõ συνεκτικον αἴτιον, sed συναίτιον id est, concausas.*

*In impres. desideratur τῶ χαλῶν quod habetur in anti.

* laxando dissoluit, atque ad attractionis functionem reddit imbecilliora: humida verò fundendo supra modum extendit. Igitur caninæ appetentiæ causa, vna est acidorum humorum vitium: altera verò (vt dictum est) plurima per totum corpus inanitio, siue ipsa caloris vim, siue retentricis facultatis imbecillitatem sequatur. Accidit autem per primum quidem affectum, vt eorum quæ fuerunt ingesta, multa fiat dejectio, per secundum verò, vt ob exactam habitus inanitionem, cibus per corpus digeratur. Atque immodicæ tum appetentiæ, tum famis, huiusmodi sunt causæ. Prauas autem, qualitates appetũt, hi quibus ventriculi tunicæ, prauo aliquo excremento sunt imbutæ. Atque consueuit huiusmodi affectus mulieres vitiosis humoribus refertas infestare, idque quum vterum gestant: vocatur pathos ipsum cit ta, id est pica, siue malacia. Appetũt autem maximè per hunc affectum, & acida, & acerba, nonnunquam acria quoque, interdum vel cimoliam terram, vel testas, vel extinctos carbones, aut alios huiusmodi cibos absurdos. Atque complures earum huiusmodi vitio laborant, vsque ad secundum ac tertium mensem. In quarto verò quiescunt, partim quòd vomitione, vitiati

hum

umores expurgantur:partim quòd cõco
uuntur, vtpote exiguum cibi, tum sumẽ-
e muliere ob fastidium, partim etiã quòd
nultitudo, vacuatione sit imminuta:quip
e primis duobus mensibus fœtus paucũ
d se sanguinem attrahit, eo quod parum
dhuc auctus sit, adeo vt ne fœtus quidem
ominari tum debeat sed κύημα potius, id
ſt conceptus. Vbi vero iam increuit, tum
lurimo indiget alimento:atque tum, nõ
l quod optimum est è venis, vt antea di-
ebam, allicit: verùmetiam quia maiorem
limenti copiam requirit, aliquid vitiosi
mul attrahit. Ita fit, vt vniuersum corpus
plethoricon, id est plenum, esse desinat,
minori horum vitio crucietur. At fœt⁹
se, excrementa quæ ab attracto redun-
ant alimento, ad duas reponit membrã-
as. Quo fit vt ipse quoque & maiori hu-
orum vitio, & maiori intemperie infe-
etur, quandoquidem à vitioso sanguine
imentum sumit:nisi grauida mulier re-
duo, quo vterum gerit, tempore, optimis
atur cibis. Sed hęc, ad id quod proposui-
us, haudquaquam pertinere vidẽtur. At
uis de prauarũ qualitatũ appetẽtia sermo
cidit:factũ est, vt malaciæ quoq; memi-
erimus:quæ viris etiam nonnunquã acci
t; quando ipsis quoq; vitiati humores ad

ventriculi osculum defluunt. Huiusmodi symptomata circa alimenti appetentiam euenire solent. Circa potionis verò appetentiam, tum similia, tum numero æqualia, eueniunt symptomata. Accidit enim quasi priuatio quedã appetentiæ, quũ vel corpus omnino non eget potione, ob frigoris humorisq; excessum, vel ventriculus suũ pathos non sentit. Deficiens verò appetentia, vbi hæc eadem fuerint imbecilliora. Porrò deprauata potionis appetentia, deprauatæ ciborum appetentiæ proportione respondet, quippe immoderata appetitur potio, quando contenti in ventriculi tunicis vitiati humores, aut salsi sunt, aut biliosi, interdum verò quũ veluti feruet in eo natiua ipsius humiditas. Prauas verò potiones, quemadmodum & prauos cibos, appetũt aliqui, pro vitiati humoris, qui vincit in ipsis, ratione: huiusmodi symptomata ijs, qui diutius malo victu vtuntur, euenire consueuerunt. Sunt qui inexhausta siti cruciantur: de quorum numero mori vidimus, & eum qui viperã deuorauerat (erat aũt fortasse dipsas) & messores, qui fortè fortuna vinũ biberant, in quo huiusmodi quædam fera fuerat extincta: & eum qui ex veteri vino fuerat inebriatus: item eum qui sitim tolerare

dec

decreuerat, denique eos, qui in naui deficiente aqua, marinam aquam bibere ausi sunt, quòd siti immoderatiore quàm reliqui, cruciarentur: etenim soluta aluo, ac torminibus vehementer cruciati, celerius quàm reliqui interierũt. Noui etiam quẽdam ardente febre laborantem, qui increscente etiamdum morbo, aquam frigidã, liberaliter bibens, satiari non potuit, donec moreretur. Itaque circa ventriculi appetentiam huiusccmodi euenire possunt errata. Est præterea aliud symptoma, ventriculi osculum nonnunquam infestans, nempe cardialgia, quod & molestum est, & ad sentiendi facultatẽ pertinet, à mordacibus ortum succis. Accedit ad hæc bulimos, id est vehemens fames, ita enim vocant, estq; huius particulę symptoma, quũ simul & penuria, imbecilitate, & refrigeratione afficitur. Porrò nihil mirum videri debet, ad huiusce partis dolores, & animi sequi defectionẽ, & vires prosterni, quũ videātur nonnulli, vel ob digiti offensam, animi deliquio laborare. Proinde nõ mirãdum est, si id affecto stomacho, accidat, tum ob exactam sentiendi vim, tum ob situs vicinitatem, qua duas principes partes vt sibi consentiant, adducere potest. Et enim maxima symptomata, à facili stoma

chi

chi sensu ꝑdire deprehẽdũtur: vt pote qui cæteris causis, que molestiam inferre possunt, omnibus multo grauius infestet, adeo vt ad principes partes vtrasq; noxã trãsmittere videatur. Atqui vbi neruosum genus in quopiam maiori fuerit vel sentiẽdi: vel patiẽdi facilitate præditũ, tum maximè principes partes, perquàm celeriter ad sympathiã, id est consensum adduci contingit: præsertim si ob pathos aliquod, aut etiam suapte natura, fuerint imbecillæ. Quod si omnia quatuor conueniant, maximũ inde pathema oriri necesse est. Quatuor autem dico, si infestans stomachum affectus fuerit validus, si is adamussim absoluto fuerit sensu, si neruorum aut arteriarum gen⁹, aut cerebrum, aut cor, fuerit imbecillum. Ita enim propter stomachũ, & morbus comitialis euenire potest, & grauis sopor, & veternus, & catalepsis, & delirium, & melancholia, cõsentiente principio, tum in cerebro, tum in neruis. Porro cardiacæ syncopæ (vt vocant) consentiẽte & in corde, & arterijs principio, euenire solent: ita & pulsus abolitio, & exiguus pulsus, & pulsus deprauatus. Anhelitus vero perit, quum principes partes ambæ, vehementi laborant sympathia. Dyspnœa vero, id est difficilis spiratio, duplicem

bet ortum:alia enim ob pręcordiorũ fit
nstrictionem, alia quum vtrũque prin-
pium consentit. Sed occasiones quæ ani
al ipsum ad huiusmodi pathemata pdu
int, multæ sunt: veluti frigus validũ in-
rim ipsum per se, interim cũ pituita su-
ra modũ frigida, cuiusmodi potissimum
idetur ea, quæ eliquato vitro haud absi-
nilis est, & in colore, & substantia: quam
b rem & Praxagoras, & Philotimus eam
uccum vitreũ nominauere. Item spiritus
rigid⁹, qui inflare possit: aut potio, aut ci
ous, aut medicamentum vehemẽtis frigo
ris, osculum ipsum ventriculi refrigerat.
Atque vnà cum ipso, per neruós quidẽ ce
rebrum: per magnam verò arteriam, cor,
frigoris iniuria afficietur. Cerebrum qui
dem, quia per neruósum genus cum illo
communicat: Cor autem quia vicinum il
li positum obtinuit. Quippe omnium ar-
teriarũ maxima, postea quã à corde exor-
ta est, per spinã incedens, in primis iungi-
tur stomacho, deinde osculo, ac deorsum
procedẽs, ipsi quoq; ventriculo secundum
longitudinem subtenditur: per hãc itaq;
arteriam, vt maximam, ita ex intimo cor-
de productam principum partium alte-
ra, ventriculi osculo consentit: per neruos
verò altera, nẽpe cerebrũ. Proinde haud-
qua

quaquã mirandũ est, si ob morbos ipsius, animalia maximis iisdemq; vehementissimis symptomatis crucientur. At quomodo singula fieri possint, posteà dicet: quippe occasiones ipsas dicere in p̃sentia, abundè satis fuerit. Sunt verò huiusmodi, fungorum quædam genera, buprestis, cerusa, gypsus, lac coagulatum, ab vtero † strangulationes, tum in viduis, tum ijs quarũ purgationes sunt suppressæ, p̃terea virorũ affectus, qui illis proportione respondeant. Verũ de abolita spiratione, aliàs seorsum disputabimus.

Ingra. est ψύξεις, id est, perfrigeratione: et ita vertit Linacrus.

Cerebrum quẽadmodũ per neruos sensuum instrumẽtis & toti corpori vim sentiẽdi et mouẽdi p̃stat si secundũ naturã habeat, ita malè affectũ sensum ijs instrumẽtis et vniuerso corpori cõmunicat varia symptomata quib' infestatur, qualia sunt somnus vigilia, lethargus, apoplexia atq; id genus plura: quorum causas Gal. aßignat, obiter taxans Aristotelis opinionem de somno.

CAPVT VIII.

AC de sensuum instrumentis omnibus, itidem de ipsorum facultatibus, ad finem vsq; perduxisse sermonem mihi videor. Cõsequens est vt ad ipsorum principiũ, quod veluti fons quidã suas illis facultates mittit: cõuertatur oratio. Id verò

est

est primũ sentiendi promptuariũ: singuli enim sensus in singulis particulatim ĩstrumẽtis, à sensibilibus alterati, perficiuntur. Hãc verò alterationẽ pars alterata sentit, eo, quòd à cerebro suscipit facultatẽ, quæ ad ipsam ꝑ neruũ deriuatur. Quippe cerebrũ, nõ vt sit sentiẽdi instrumẽtum, sed vt sensuũ instrumẽtis vim sentiẽdi præstet, à natura institutũ est. Quod vero singulis animalis partibus sentiendi facultatẽ per neruos trãsmittat, dilucidè patet, vbi neruus quispiam resect' est: quippe ea pars in quam neruus ille distributus est, protin' sensum amittit. Prꝫterea neminẽ latet, sensus per somnos, aut ociosos omnino esse, aut debiliter agere. Consentaneũ itaq; est exiguã quãdã à principe parte facultatẽ, in reliquas particulatim partes tũ defluere. Quod enim quis vel ꝓfundè, vel min' ꝓfundè dormit, ex eo est (vt quotidie dicere solemus) quod aut plus, aut minus afflu it: quippe tãto minus affluere par est, quãto grauior fuerit somn'. Itaq; toto hoc tẽpore quo quis dormit, animalis facultas quiescere, naturalis vero validius agere videtur. Cuius rei cõiecturã ex eo facies: tũ quod ipsa (si quãdo laborauerit) post somnũ robustior euadit: id vero maximè, quũ à modico cibo somnum admittimus: tum

etiam


etiam quòd per somnum, cibus optimè concoquitur, nõ solum in ventriculo, verùm etiam per vniuersi corporis habitum. Est etiam rationi cõsentaneum, illud animalis membrum, in quo anima rationalis veluti in arce habitat, aliquãdo quiescere. Cor enim exiguam admodum videtur habere quietem: vt pote quod nõ magnopere indiget, vt diutius quiescat. Sed non ita se habet cerebrum, per vigilias enim nunquam non fungitur officio: per somnum verò quiescit. quam ob rem profundius dormire videntur ij, qui multa fuerunt exercitatione fatigati, vtpote quibus inter exercitandum plurimum facultatis à principe parte defluebat. Igitur cerebrũ & requie & virium instauratione, indiget, tum ob facultatis, quam transmisit inanitionem, tum ob labores, quibus per multas functiones iam defatigatum est. Quemadmodum enim exercitati, & proniores sunt ad somnum, & grauius dormiunt: ita illi quoq; qui cibũ ingesserunt, ac eo grauiori detinentur somno, quo cibus suapte natura fuerit humidior, itidẽ & ij, qui plurimo se vino ingurgitauerũt, aut balneis multis calididisq; liberaliter circa caput vsi sunt. Quippe huiuscemodi omnia cerebrum videntur implere humi

dit

ditate:quæ alioqui non erat inutilis ei quē multa exercitatio & lassum & aridum reddidit. Cæterum quòd capitis repletio somnium conciliet, iam Aristoteles satis demõstrauit, adeò vt nihil sit opus hanc nos rationem persequi. Si enim illius librum, quem de somno & vigilia conscripsit, perlegeris, & hoc ipsum haud obscurè disces, nempe quod oppleto capite animalia somno corripiuntur: & præterea quantum in hoc argumẽto claudicauerit, deprehẽdes. Quamuis enim apprimè doctus, atq; idoneus fuerit, & ad rem tractandam, & ad persuadendum in quãcunq; partem vellet rationem adducere: nullam tamen potuit probabilem inuenire rationẽ, qua ostẽderet: quam ob rẽ oppleto cerebro prima sentiẽdi vis quiescat, quum ipsa (vt ille putat) in corde resideat: quanquam multo probabili' erat, à pulmonis humore somnos euenire, hũc enim natura cordi adhibuit, nullius alterius rei gratia, quàm vt illi seruiret. Quis autem medicorum diuersa sentientium, vel nuda inductus experientia, in graui sopore, lethargo, veterno, & reliquis somniferis præter naturam pathematis, non capiti succurrit? fomenta, & cataplasmata adhibens, atq; radẽs, cucurbitulasq; admouens: præterea omnia alia per

inde instituens, quasi in hac parte sit morbi radix? Sic etiam delirium, phrenitida ac omnem vigiliam præter naturam, sanare aggressus, capiti præsidia adhibet. Sed de his aliàs amplius disputauimus: in præsentia vtiliter considerabimus, cerebrũ, quum à multa functione quiescere voluerit, somnũ animali naturalẽ inducere, præsertim vbi altrix in ipso facultas, humiditate fuerit instaurata. Si vero à frigida multaq; humiditate grauetur: veternosum, lethargicũq; somnũ, atq; alios huiusmodi morbos inducit: quorũ omniũ summa in frigiditate & humiditate consistit: siue quælibet separatim, siue ambæ simul coëuntes ipsum infestẽt. Atq; ad hoc gen' pertinẽt omnia medicamenta, quæ verè somnifera sunt: ac alia quoq;, quæ licet somnifera appellentur, nõ tamen somnum, sed veternum, ac in vniuerso corpore stuporem inducũt. Igitur ea quæ duntaxat humectant, non ab re somnifera nominãtur, quæ vero refrigerant, ea neque somnum conciliare, neque indolentiam inducere, rectè dicentur: sed pro somno, veternum, grauemque soporem: pro indolentia autem vel abolitionem vel difficultatem sensionis efficient, idque ob refrigerationis excessum. Atqui iam antea dictum est, stuporem esse pa-

thema, quo neruosæ partes difficulter & sentiant & moueantur. Oritur verò cum alias ob causas, tum ob intēperiem, vt ob frigida medicamenta. Atq; hoc pacto fiūt & veterni, & sopores, ac stupores. Rursus siccitas immoderatior, ac calor, velut in phrenitide, ob succum quempiā & mordacem & calidum irritatum vigilias infert, quas neq; mœstitia, neq; solicitudo peperit. Vt verò huiusmodi symptomata toti corpori communia sunt, propter affectum principium: ita alia quoq; circa omnes quę ab impetu prodeunt functiones, affecta principe parte euenire cōsueuerunt. Quippe & apoplexia, & morbus comitialis, affecto cerebro fiunt. Verū vt profundus somnus, sentiēdi functiones: ita apoplexia eas actiones quæ pendēt à voluntatis imperio offendit. Rursus qualis est insomnietas sentiendi functionibus, talis est cōuulsio per morbum comitialem functionibus voluntarijs. Quippe in vtrisque deprauatus cerebri motus deprehenditur: atque ob id particulatim reliquorum quoq; membrorū omniū: veluti è diuerso in duobus prioribus actionū ipsius, & occupatio & quies. Porrò conuulsio quæ per totū corp' fit citra deliriū, aut soporē à spinalis medullæ, quæ in ceruice cōtinetur, morbo depēdet.



CL. GALENI DE CAVSIS SYMPTOMATVM LIB. V.

GVLIELMO COPO INTERPRETE.

Hoc lib. totus est Galenus in quarẽdis causis symptomatũ facultatis animalis motricis & principis, & quia sub finem prioris libri eorũ symptomatũ meminerat, quæ ad læsam motus voluntarij functionẽ pertinebãt, ideo ea proponit initio velut futuræ tractatiõis argumentũ: docens interea quid natura, quæ naturæ, quæ morbi & quæ vtriusq; sunt opera.

CAPVT I.



IGITVR conuulsio, tremor, palpitatio, rigor, horror, singultus, tussis, ructus, sternutamentum, pandiculatio, oscitatio, † stridor, communi omnia genere continentur, nempe deprauato motu. differunt autem inter sese, hoc vno potissimum, quòd alia qui-

† τρυσμοὶ ex dentiũ concussu strepitum vertit Linacrus.

dē naturæ ſunt opera, quę tamen à morboſa quapiam cauſa violenter mouere ſit coacta; alia morbidos ſequuntur affectus, nihil ad ipſorum generationem conferente natura: alia fiunt, vbi ad opus efficiendū ſimul coëunt & morbus & natura. At qui per naturæ vocabulum in hoc ſermone intelligas velim, omnē qua regitur animal facultatem, ſiue illa à volūtatis noſtræ imperio pendeat, ſiue ſecus. Diſtinguimus enim in præſentia totum hoc potentiarum genus, quo ſeruatur animal, ab omni cauſa præter naturā, quæ ipſum vel lædere, vel corrumpere poſsit. Huius itaq; facultatis opera ſunt, ſternutamentum, tuſsis, oſcitatio, pādiculatio, ſingultus. Solius morbi, palpitatio, conuulſio. Amborum ſimul coëuntium omnes motus torpidi, ac alij quoque, quibus ij, quorū nerui reſoluuntur, ſed nōdum reſoluti ſunt, mouētur: pręterea & tremor. Hæ ſunt ꝓpoſiti nobis in præſentia ſymptomatum generis primæ differētiæ. Atqui deinceps ſingulorum propriæ, quędā ſunt, de quibus nunc diſſeremus à motibus auſpicantes, qui ab innata quadā facultate prodire videntur, ſi prius quo pacto ipſi cū ijs qui ad amuſsim ſecundum naturam ſunt, cōmunicēt, oſtenderimus; ita enim diluci-

è patebit ipsorum generatio. Iã quatuor sunt facultates, omnia quæ aluntur corpora gubernantes. Vna id quod vtile est, ad se trahit. Altera illud retinet. Tertia alterat. Quarta excremẽta secernit. Itaq; quũ naturæ legibus animal gubernatur, nullus ipsarum motus symptoma esse censetur. Quòd si quidpiam in corpore præter naturam cõsistit, insurgatq; ad ipsum deiiciendum expultricum facultatum aliquà: fit interim vt ipsarum motus sensu haudquaquam percipiãtur, interim vt nõ lateãt sensum. Atq; de motibus, qui sensum fallunt postea dicemus. De his verò qui sensu percipiuntur, quoniã cum illis, qui volũtarij nominantur, communicãt, communis quoq; sit tractatio.

Explicaturus causas symptomatũ facultatis animalis motricis, auspicatur à symptomatibus motus sensu percepti & voluntarij aboliti, debilis aut deprauati. qualia sũt neruorũ resolutio, cõuulsio, tremor & stupor, quæ singula pro varietate partiũ, quibus accidũt, specie & nomine variãt. Deinde causas palpitationis exponit, & quomodo differat à cæteris motibus deprauatis. CAP. II.

IGitur functionis à voluntatis imperio prodeuntis noxa est, neruorum resolutio, cõuulsio, tremor, stupor. Sed horũ sin-

gula particulatim, pro instrumentorũ varietate, diuersa deprehenduntur, nõ solũ symptomatum specie: verũ etiam nomenclaturis. Quippe si instrumẽtorũ, quibus respiratio perficitur, nerui fuerint resoluti: apnœa, id est abolita spiratio. Si verò vocales nerui, aphonia, id est vocis priuatio, nominatur. At linguæ paralysis, quamuis ipsa quoq; sermonẽ, non contẽnendũ voluntatis opus penitus auferat, nullũ proprium nomen obtinuit. Rursus ischuria, id est vrinæ suppresio, haud absimile q̃dam, & apnœæ & aphoniæ, significare videtur: licet per ipsam functio, à natura, non à non voluntatis imperio pendens, pereat. Sed si inuitus quis meiere cogatur voluntariæ functionis offensa est. Haud aliter alui excremẽta, si supprimantur, ad naturalem: si deiiciantur, idque ab inuito, ad voluntariam functionem noxa referri debet. Porrò de huiusmodi omnibus copiosè diximus in libro de musculorũ motu. Atq; hoc pacto resolutionis neruorũ species, inter se differre videntur. Conuulsionis verò alię sunt differentiæ: quippe si inuitus aliquis dentium stridore vexatur, maxillares musculi conuulsione laborãt. Per inuersiones verò, & strabismos, conuelluntur oculorum musculi. Iam gonorrhœa

nœa aliam constituit conuulsionis diffe-
entiam: si enim rigido pene semẽ effluat,
eluti conuulsio quædam est: si nõ rigeat
enis, ad retentricis facultatis imbecilli-
atem referri debet. †Sunt qui singultum
uoq; conuulsionis speciem esse arbitren
ır. Atq; duplex inspirantium reuocatio,
onnunquam ob musculorũ inspirationi
eruientium conuulsionẽ, fieri solet. Est
tiam quædam inspirationis species ad cõ
ulsionem pertinens, ac ipsa quoq; con-
ulsis musculis inspirationẽ efficiẽtibus
ueniẽs. Hanc Hippocrates spiritũ vocat
ffendentẽ, dum ad externa erumpit. Iã
poplexiã esse neruorum per vniuersum
orpus resolutionem, ac morbũ comitia-
ẽ esse conuulsionẽ, antea dictum est. Iti-
dem stuporem diximus imperfectã quan
dam esse neruorũ resolutionẽ, verum ma-
or, minórve stupidarũ partium offensa,
complures parit differentias, quippe mi-
stum ferè symptoma est, coëuntibus in
vnum, & morbo & facultate. Nam si mor
bus omnino facultatẽ vicerit, ipsa mem-
brum haudquaquam poterit transferre, si
vero superior manserit facultas, nihil eã
impediet. At si pugna quædam inter ipsa
fuerit, mouebitur quidẽ membrũ, sed nõ
sine difficultate. Si enim præceperis cui-

† Linacr' ita vertit. Nõ desunt & quibus videantur tũ singultus, tũ duplex inspirandi aëris refractio, aliquando ex conuulsione musculorum: qui inspiratũ faciũt, prouenire. Vide nostras annotationes.

piam, vt membrũ extendat; & extentum seruet, obtẽperare nõ poterit: natiua enim grauitas ipsum deprimens, facit vt decidat, idq; ob ferentis ipsum facultatis imbecillitatem. Nam facultas & attollit & sustinet. Corpus verò tũ manus, tum cruris inferiora petit. Huius rei causam iam antea diximus, quum de sensuum functione sermonem faceremus: quippe demonstrauimus, neruum aut stupore, aut resolutione infestari: si vel frigus illum constringat, aut crassi, lentiq; humores obstruãt, aut aliqua causa externa ipsum suo pondere comprimat. Cõuulsio neruos musculosq; ad eũdem cogit affectũ, in quem ab animali facultate, quum naturalẽ habitũ seruarent, ducebantur: vt igitur voluntarius motus, interim intentis versus principium musculis; interdum ab irruente spiritu impletis, perficitur: ita conuulsio quoq; eodem modo accidere solet. Nã & spiritus inflare potens in ipsis generatur, & cõplures etiam affectus, qui illos intendere queant: quemadmodũ phlegmone. Atq; omnes ij (Hippocrate autore) in duo capita reducuntur, plenitudinem & inanitionem. Phlegmonæ plenitudinẽ pariũt: ardentissimæ & aridissimæ febres, inanitionem. Sed neruosa corpora omnia tendi

posse, siue oppleta sint, siue inanita, declarant musica instrumẽta: Etenim rumpuntur chordæ, siue in humidum vaporibusq; scatens, siue in aridum squalensq; cubiculũ, intentis etiamnũ chordis, instrumenta collocaueris. Proinde huius rei haud ignari artifices, eas priusquam reponantur, laxare solent. Hãc ob rẽ antea quoq; dictum est, cõuulsionis motũ à solo morbo perfici, immobilitati quæ in paralysi accidit nõ dissimiliter, etenim & ipsa morbi occasione efficitur. In animalibus verò & motus & immobilitas, secundũ naturã sic se habent, quum manum extendere, & extentam immobilẽ seruare valemus, animalis facultatis hæc functio est. Si autem super rem quampiam solidã, bene valentem manum deponẽs, omnes musculorũ actiones laxaueris: hanc manus quietem neque ad morbum, neque ad facultatem, sed ad innatam animalibus grauitatẽ referre oportet. Ex tribus itaque quietis generibus, id quod per neruorum fit resolutionem, ad solum morbum refertur, eo tẽpore (vt ita dicam) ligata facultate. Alterum, quum membrũ intentum habemus, à facultate pendet. Tertium quod nuper dicebamus, neque ad morbum pertinet, neq; ad facultatẽ. Sed meminisse oportet
eor

eorum, quæ dicta sunt in libro de musculorum motibus: nẽpe extentã manum, in genere functionum, tum motionũ re vera contineri: diximus etiam hunc motum nobis tonicum, id est robustũ aut firmum nominari: atq; hic status, interim motus, interim immobilitas dici potest. Reliquæ vero duæ cõstitutiones, vt nullo respectu ad motũ aptari possunt: ita & reliqui duo motus, nempe conuulsio, & is qui voluntatis imperium sequitur, nullo pacto ad immobilitatem sunt referendi. Cęterum sicuti extentã manum duobus æquè valẽtibus diximus regi motibus, sursum quidem ferente facultate, trahẽte vero deorsum insita grauitate. Ita tremor quoque duobus perficitur motibus, vno quum cogitur membrũ ob grauitatẽ ad inferiora repere, altero dum sursum fertur à facultate. Quum enim robusta fuerit manus, ne paululũ quidem vincatur à grauitate facultas, quinimmo præstãtior quum sit, inclinationi, quà membrum ad inferiora repit, resistat: tantum ipsum in sublime at tollit, quãtum trahitur ad inferiora. Per tremorem vero inuita facultate membrũ ad inferiora delabitur, adeò vt manifestè liceat videre pugnam inter ipsas, non permittente facultate deorsum ferri membrum,

brum, vt in resolutione neruorum fieri solet: neque grauitate concedente, vt facultas ipsum sublime seruet, ita vt consueuerat, dum valebat. Itaque vicissim facultas nunc vincit, nunc vincitur. Ac contrariorum semper inter se motuum successione, tremor fieri videtur, quum sit motus quidam compositus, quemadmodũ arteriarũ pulsatio. Verum in his quies sensu percepta, diastolen id est dilatationẽ, separat à systole, id est contractione. Nisi fortasse densissimus aliquando fuerit pulsus, vt in formicantibus videre est, in quibus nulla inuenitur inter contrarios motus quies sensibilis. Quippe non est in illis mutua motionum vicissitudo, quæ ab vna perficiatur natura: sed pugnant inter se, & facultas & corporis grauitas. Quòd si quis hunc maximè motũ, alteri qui fiat in corpore, voluerit comparare: formicanti pulsationi ipsum persimilem deprehẽdet: vt enim in hac arteriæ motus, per breuissimum defertur spatiũ: ita in tremoribus, animantis particula, vtpote quæ ab imbecilla facultate mouetur. Itaque manifesta videtur huius symptomatis generatio: & quod omnino cum conatu fit mouendi, & cum facultatis infirmitate. Porro inuenti sunt nonnulli, negantes mouendi

ina

impetum, à tremore separari non posse: quum videăt interdũ totum caput tremere, concutiq́; nulla accedente ad mouendum voluntate. Sed ignorare videntur ij, quòd ad seruandã partem aliquã erectã, voluntatis imperium requiratur: quippe musculi in hac haud aliter quàm in alijs functionibus tenduntur. Id verò iam in libro de musculorum motibus ostendimus. Per tremores autẽ, & pro voluntatis imperio fieri actionem: & facultatem, ob imbecillitatem nõ posse partẽ seruare inconcussam, hac non leui coniectura assequeris. Quippe si tremulum istud caput, supinum super rem quãpiam mollem inclinaueris, protinus liberaberis à tremore. Similiter si scribens aliquis, aut secãs, aut aliud quidpiam agens, tremore afficiatur: ne hic quidem tremere videbitur, si retractis ab opere manibus, quiescat. Quemadmodum vbi crura cuiuspiã inter ambulãdum tremunt: si desinat ambulare, desinet quoque tremere. Atque videre est validissimos subinde iuuenes, prægrauia onera humeris gestantes, si progrediantur, tremula habere crura: deinde quum abiecto onere quieuerunt, illico solui tremorem. Quum enim & graue, & leue dicãtur ad aliquid: poterit pondus ad tantam atolli

mag

magnitudinem, vt validissimo cuiq; graue videatur. Igitur maximum onus validã vincit facultatem, inualidam verò nõ solùm hoc, sed parua quoq; sarcina prosternit. Quòd si ad multam peruenerit imbecillitatem sub proprio etiã corpore, perinde quasi sub onere grauabitur. Proinde senes ferè omnes, quum vehemẽtius munere quopiam funguntur, protinus tremore afficiuntur partes functioni destinatæ. Ita & per prærupta ingredientibus crura tremunt, deijciente vires timore: itidem qui †incurrentem in se feram videns fugit, is quoque tremulus euadit. Neque non toto corpore tremit, cui coram terribili aliquo magistratu negotium est: quippe loqui iussus, ne vocem quidem citra tremorem reddere poterit. Igitur vt animi affectus motricem facultatem imbecilliorem reddens, functiones efficit tremulas, ita corporis morbi viribus incommodantes, tremoris induunt symptomata. Imprimis itaque & maximè omnium, officit facultati, quicquid in intemperie consistit. At senectus quoque intemperies quædam est, ad frigus, & siccitatem procliuior: quam ob rem senes facile vexantur tremore, ex iuuenibus verò corripiuntur ij, qui vehementer

† In græ. impress. est ἐπιφαινόμενόν τις, pro ἰδὼν τις ἐπιφερόμενον, vt est in anti.

fue

fuerunt refrigerati, & qui se multo meraco vino ingurgitauerunt, aut multas subinde cruditates congesserunt, aut qui diu multis cibis ingestis, nulla vsi sunt exercitatione, sed ignaui omnino vixerunt in ocio, aut qui intempestiuè frigidam aquã biberunt. Huiusmodi omnia frigidam intemperiem efficiunt, interim in vniuerso corpore, interim in origine neruorum: ac interdum in aliis quoq; partibus, quæ reliquis suapte natura sint imbecilliores, & ad noxam subeundam magis opportunę. Præterea crassi lentique succi, facultatis meatus obstruentes, ita vt exigua facultas affluat, tremorem efficere possunt: idque maximè vbi exactè obstruunt resoluuntq; aliquorum neruorum partes quasdam: sic enim reliquæ fibræ non satis validè musculum possunt intendere. Etenim vbi humores obstruentes facultatis per neruos meatum, nõ in totum fuerint infixi, adeò vt per violentas virium incursiones, possint adhuc & concuti, & commoueri, huiusmodi fiunt motus, quales antea, incipiente neruorum resolutione accidere diximus: attollitur enim aliquãdo membrũ, sed illico concidit. Nam per facultatis inuasiones, quum ipsa se vehementius & excitat & cogit, excutiuntur succi qui ner-

uos obſtruunt , ac membrum mouetur. Rurſus refluẽtibus humoribus, quos excuſſerat, in priorem locum: concidit & iacet immotum, donec facultas rurſus confertim irruens, diſsipauerit humores, qui ipſius meatus occupauerãt. Sed de his hactenus dixiſſe ſatis ſit. Palpitatio verò eſt diaſtole id eſt dilatatio, pręter naturam: hæc autem in omni parte, quæ dilatationem ſuapte natura admittit, fieri poteſt. Neq; enim oſſa, neq; cartilagines vnquam palpitant: quandoquidem dilatari non poſſunt. Atque hanc cuti ſubinde accidere videmus, nonnunquam ſubiectis quoq; ipſi muſculis. Præterea non ita raro ventriculo, veſicæ, vtero, inteſtinis, iocineri, lieni, ſepto tranſuerſo: atque (vt ſummatim dicam) omnibus quæ dilatari poſſunt, ita vt arterijs, atque adeò ipſi cordi videatur accidere, alio in ipſis præter pulſum deprehenſo motu. Verùm hoc pathos, neque ad voluntariam facultatem, neque ad ipſius inſtrumenta propriè pertinet, veluti tremor, conuulſioque: ſed vt nuper dictũ eſt, omnia quæ dilatari poſſunt corpora, infeſtare conſueuit. Hæc vero ſuapte natura mollia ſunt, vt & diſtendi, & reſidere poſſint. Cauſam ſymptomatis ab ijs quæ maximè perſpicua ſunt, venari oportet: idque

vbi genæ, aut tempora, aut frons, aut maxillæ palpitāt, videtur enim in iis cutis, & attolli, & difflari haud aliter, quàm arteriæ dilatantur. Quod igitur de iis quærebatur, vtrum ne ex ſeſe dilatatę, vnà cum dilatando cōtrahant id quod eas implet, veluti fabrorum folles, an vtriũ ritu quũ implentur dilatantur, hoc idem primũ definiſſe in palpitātibus quoq; particulis oportet. Videntur autem huiuſmodi partes quod ad inquiſitionis genus pertinet, ſimile quippiã habere cũ arteriis: verùm in eo quod ad inuētionis promptitudinem ſpectat, haud parum diſtant. Quippe arterias vtpote ſemper, & ſecundum naturam pulſantes, probabile eſt ab inſita quadam facultate moueri: Id verò de palpitantibus partibus dici debet minimé. Quippe oporteret id ſemper ipſis adeſſe, præcipuè per bonam valetudinem. Igitur cùm neque ſemper, neque per integram ſanitatem, id eis eueniat: perſpicuum eſt, neque illas à ſeipſis dilatari. Quum itaque non à ſeipſis dilatentur, omnino eas dilatari oportet ab eſſentia quapiam intrinſecus ipſis influente: Ac coniectare licet hāc eſſe vel ſuccum, vel aëream aliquam naturam. Atqui ſuccum eſſe negat palpitationis celeritas, & dum exoritur, & dum

ſol

ſoluitur. Nam & derepentè fit, & ſubitò conquieſcit. At nullus ſuccus tam celeriter vel accedit, vel recedit, maximè in nuper dictis faciei partibus, vbi nudis ferè oſſibus ſupertenditur cutis. Itaque neceſſe eſt cauſam quæ palpitationem efficit, eſſe aêream quandam eſſentiam. Verùm ſi ipſa pauca fuerit, & tenuis, illico à corpore defluet. Proinde videtur eſſe vapor craſſus ac multus idq́ue pro captu ſpatij in quo continetur. Dilatat igitur, & attollit, & inflat partem, donec violenter exploſus, in cognatum ſibi aërem expiret. At ſimile quidpiam accidit, vt in bullis quæ in decoctis ſuccis oriuntur, niſi quòd bulla rumpitur, corpus verò palpitans, vtpote validum, non rumpitur, ac tantiſper manet elatum, quoad exploſus ab ipſo ſpiritus exierit: tum rurſus in eam, quam à principio obtinebat concidit ſedem, quando quidem vacuatum eſt exiuitq́; quicquid moleſtum erat. Porrò conſentaneũ videtur, vt refrigeratis quomodolibet partibus, palpitationes eueniant. Id enim quod per naturalem habitum ab intimo animalium calore, & extenuatum & exactè elaboratum defluebat: id nunc ob ipſius imbecillitatem à frigore contractam, & vaporis naturã induit, &

crassius euadit. Proinde non itidem vt antea transpirat, sed ob meatus cōstipationem, sub cute detinetur, tardeque egreditur: quod si cutis quoque densior fuerit, duplum apparebit symptoma accedente ad fluentis causæ crassitudinem, meatuū constipatione. Sic igitur per palpitationes attollitur, dilataturque cutis: sic musculi quoque quum in ipsis huiusmodi excrementum colligitur, adeo vt interdum totum membrum vnà attollatur. Verū motus ille, à conuulsione planè differt, eo quod per ipsum neque exactè intenditur membrum, neque incuruatur. Nam quod membrum in palpitatione extēditur, vel curuatur, haud magni momenti est. Concutitur vero tantisper in vtrāque partem, quoad musculus desinat palpitare: adeo vt non aliter quàm tremor, hic motus perfici videatur: sed hoc interest, quòd hic maiora, tremor vero minora habet interualla. Quippe palpitans musculus, si notabilis ei fuerit magnitudo, inter dilatandū, subinde vnà secum totum attollit membrum: quum verò contrahitur, sinit ipsum ferri deorsum, perinde quasi inanimatum: quo fit, vt vniuersus hic motus sit præter naturam, non mixtus, compositusq;, vt in tremore. Porro vt in mēbrorū palpitatione

fit

fit motus paucus, tardus & rarus: ita in rigore fit multus, †citus, & *densus. Atqui multum voco ex ipso motionum numero citum ex motionis impetu, densum breui tempore quietis. Sed mot⁹ hic, non est totus præter naturam, veluti in palpitatione conuulsioneque, alium habens à tremore modum: quanquam ipse quoque mixtus est, ex causa præter naturam & animantis facultate: sed plus virium in ipso, quã in tremore requiritur. Quin, si verum dicere oporteat, totus motus ad natiuam facultatem referendus est: hanc nos vsitato vocabulo, expultricem, aut deiectricem nominamus. At causa facultatem irritans, cogensque vt violenter moueat, præter naturam esse censetur.

† Male legitur in Aldi. παχεῖα pro ταχεῖα.

** Πυκνὴ, id est, frequens.*

In symptomatũ genere sunt omnia in quibus à causa morbifica facultas irritatur. Quare etsi facultatis expultricis peculiare munus est excernere per conuenientia loca, quæ in corpore secundũ naturã habẽte excremẽta redundãt, tamẽ si à causa præter naturã molestante irritetur, eadem ratione suo munere functa excitat varia symptomata, quorũ causa hoc cap. docentur: paucis repetitis quæ libro de nat. facul. de expultrice vteri, ventriculi, intestinorum & vesicæ sunt tradita.

CAPVT. III.

IGitur quiſquis huius facultatis, dũ inculpata degit animal ſanitate, functiones ſatis intelligit, ſi modo prudentia præditus fuerit, huic nõ opus eſt lõgiori ſermone. Qui verò eas ignorauerit, hebetioriq́ue fuerit ingenio, huic equidẽ conſulo, niſi ardentiſſimus fuerit veritatis amator, vt ab hoc commentario recedat. Quòd ſi veritatem & ſtudioſè inquirit, & habet in pretio, ad eos commentarios quibus naturales facultates tractauim', prius ſe conuertat, in quibus vbi ſatis fuerit exercitatus, tum demum ad hunc librum redeat: quod niſi fecerit, neque quas dicturi ſumus, aſſequetur demõſtrationes, neque ea quæ antea demonſtratione dicta ſunt, intelliget. Nos autem in hoc opere, nullam ſectarum reprehendere inſtituimus. Quòd ſi quartum & vigeſimum Athenæi librum legere non graueris, vetuſtiores illo, tum medicos, tum philoſophos, abſurda admodum de rigoris cauſis dixiſſe deprehendes: quippe Athenæus eas omnes coarguit. Atqui ſi illius opinionem examinaueris, quamuis prioribus ſit probabilior, inuenies eam nonnihil à veritate deflectere. Equidem haud dubiè ſcio eum qui veritatis ſtudio tenetur, præter illum quem iam narrauimus modum, nullum

all

alium amplexaturum. Ego verò disputabo perinde ac si mihi cum illo res sit, qui commentarios nostros de naturalibus facultatibus perlegerit, si prius pauca quædam, quæ in ipsis demõstrata sunt, ad memoriam reuocauero: nempe de vtero, ventre, intestinis, & vesica. Quippe vterus non alio pacto (vt ibi demonstratum est) insurgit ad fœtus editionem, quàm expultricis facultatis officio. Quum enim nouem mensibus sustineat tum fœtus grauitatem, tum suam ipsius extensionem, atque toto hoc tempore osculum ipsius adeò adamussim claudatur, vt ne specilli quidem aculeũ admittat: absoluto fœtu, ad ipsius secretionẽ accedit, diuersa omnino constitutione affectus. Nã fauces ipsius antea clausę, adeò patẽt, vt facilè per ipsas fœtus exeat. Tunicæ verò antea plurimũ extentæ, & cõtrahuntur vndiq;, & fœtum explodunt, vt quàm celeriter ab vteri ceruice decidat. Hæc itaq; facultas, quæ adeo de fœtu solicita est, vt quãuis grauata, sustineat nouem mensibus: vbi perfectus est fœtus, accuratè prospicit, quo nã pacto tuto ipsum excernat. Corruptum vero fœtum eijcit, aut tertio, aut quarto, aut alio quolibet mense haud aliter quàm instante pariẽdi tempore fauces aperiẽs. Vterus

enim non habet præfinitum temporis circuitum quo claudatur, aut aperiatur: sed ad vsus occasionem spectare consueuit. Haud aliter ventriculus quoque, ingestis cibis (vt ostẽdimus) claudit inferius suum ipsius osculum, ac nihil egredi sinit, priusquàm absolutè fuerit concoctum: si modo nihil aliud functionem intercidere cogat, quemadmodum in vtero, fœtus corruptela: fit enim in ventriculo pathos quoddam, quod huic proportione respõdeat, corruptis in ipso cibis, aut me hercule simul atque sumuntur ita deprauatis, aut etiam adeò multis, vt ipsos ferre nequeat. Ita fit, vt natantes in ipso, euomat: ad inferiora verò declinantes, per inferiora quoque deijciat. Quin sine cibis, insurgit sæpenumero ventriculi facultas ad vomitum: idque ob prauam, vel bilem, vel pituitam, aut alium quempiam huiusmodi succum, † aut saniem. Singulis enim animalis partibus, insita vis est, expellens id quod in ipsis pręter naturã consistit: quemadmodum in proprijs super hac re libris demonstratum est. Quippe satis videtur in præsentia perspicuitatis gratia huiusmodi facultatis opera ad memoriã reuocasse, tum ea quæ de vtero, tum ea quę de ventriculo dicta sunt. Etenim qualis est

† ἢ ἰχῶρα.

per

per vomitiones in ventriculo expultricis facultatis actio: eiusmodi etiam per tusses, & in pectore est, & in pulmonibus. Neque enim vllum animal didicit, aut nauseare, aut vomere, aut tussire. Quin complura animalia, ac homo quoque, dum à generatione inculpata sanitate degunt, multo subinde tempore, neque vomitionis, neque tussis experientiam habuerũt. Quòd si causa molestiam afferens, aut ventriculi osculum aut respirationis meatum obsederit: protinus animal vel vomitione, vel tussi vexabitur. Vt enim inter pariendum vterus, ita inter vomendum ventriculus mouetur. In tussi verò alia ratio est: non possunt enim pulmones tam vehemẽti concitari motu, vt explodant id quod molestum est. Proinde inuenit natura aúxilium, ab eximia quadam sapientia profectum: inspirato enim in asperas arterias externo aëre, quũ ipsæ sint cartilagineæ, ac durę, neq; cõtrahi possint circa id quod in ipsis continetur: faberrimè machinata est vehemẽtẽ hãc spiritus ad exteriora motionẽ, quã tussim nominãt. Atq; huius generis est sternutamentũ quòq;, expellendo ea quæ in naribus retẽta fuerũt: quæ & ipsæ, vt respirationis meatus essent, à natura inuentæ sunt: quippe spiritus vehementer

admodū motus, meatus ipſarū expurgat, tibicinum exemplo, tibias, fiſtulasq́ue purgantium. Igitur quæ ſit mouendi ratio, vt hoc fiat: in ſequentibus dilucidè indicabimus. Aggrediamur verò id, quod vſum aliquem, ad ea quæ nobis propoſita ſunt cōferre poſsit, nēpe quòd huiuſmodi motus, naturæ ſunt opera: annumerantur tamen ſymptomatis præter naturā, ob cauſas naturam ad huiuſmodi motum cogētes. Porrò in inteſtinis, vtero, veſica (ſiue ſecundū naturam, ſiue pręter naturam, quid expellatur) expultricis facultatis motus ſimiles eſſe videntur: quam ob rem ſymptomata nō ita manifeſtè diſtingui poſſunt. Atqui ea, quæ per tineſmos, dyſenterias, & læuitates inteſtinorum, itidem quæ per vrinæ tum ſtillicidium tum fluorem excernuntur, ſymptomatis annumerāda ſunt. Quibus, ſi diligēter rem examinaueris, addes & flatum ſtrepentem, & ſtridorem, & ructum, & murmurillum, atque alia huiuſmodi, de quibus poſtea dicemus.

Symptomatū rationē reddit: quæ cauſam habēt præter naturā facultatē irritātē ad expulſionē, oſtenſa eorum natura & ſingulorū à ſingulis differētia, talia ſymptomata ſunt Vomitus, alui fluor, ſternutamētū & tuſsis, de qua præcipuè agitur hoc capite.

CAP. IIII.

POrrò quòd adventriculum pertineat vomitus, manifestissimum est: quanquam nonnulli eum, nõ naturæ opus, sed symptoma esse dixerunt. Si verò tusses, sternutamentaq́; spectes, manifestius erit hîc quoque tussis negotium: sed sternutamenta non similiter videntur esse præter naturam. At re vera & hæc, & tusses, & vomitiones, & alui fluores, & quicquid huiusmodi fuerit, ad illud symptomatum gen' referri debent, in quibus causa præter naturam, ad huiusmodi functiones subeundas, naturam irritat. Sed neque eadẽ in omnibus est huius motionis species, neque ab eadem prodit facultate. Nam quæ vel ab vtero, vel intestinis, aut ventriculo, aut vesica, excernuntur: ea à partibus circundantur, quæ quicquid in ipsis continetur, explodũt haud aliter quàm manus, quum exprimere quidpiã conãtur: facultas autẽ hũc motũ efficiens, ex naturalium numero vna est. Quum verò in asperis arteriis corpusculum aliquod continetur, ipsę vtpote duræ & cartilagineæ, circa id quod infestat, contrahi nõ possunt. Proinde natura vehementer mouendo spiritum ad exteriora, tussim mouet. Hanc eadem efficiunt instrumenta, quibus vehementes

per

perficiuntur exſpirationes, quas exufflationes nominamus: vt tuſsis nihil aliud ſit quàm vehementiſsima efflatio, qua plurimus ſpiritus celerrimè foras erumpens, impetu ſuo extrahit, exploditque excrementa, meatum ipſius obſtruentia: adeò vt ſi prima † expiratio non poſsit ea quę moleſta ſunt excutere, non grauetur, & iterum, & tertio in ipſa irruere: atque magna ex parte ſortitur effectum, præſertim ſi & ſpiritus impetuoſè feratur, & ea quæ obſtruunt, facilè poſſint expelli. Sunt ad hoc idonea, quorum neque aquoſa, neque lenta ſit eſſentia. Nam aquoſa ob tenuitatē diſſecatur potius à ſpiritu, quàm vltra feratur. Lenta verò adeò inhęret arteriæ, vt ab ea * ſolui vix poſsit. Igitur ſpiritus, ſi quando cum huiuſmodi pugnauerit humoribus, ſæpenumero magna violentia in ipſos irruit. Atque vehementiſsimæ tuſſes, † & quæ validiſsimis viribus indigent, ab huiuſmodi cauſis oriuntur. Verùm eos humores qui in arteria contumaciter, hærent, & qui difficulter reijciuntur magis euellunt ſternutamenta, vt pote quæ validiorem quàm tuſsis habent ſpiritus impetū: ſed aliam habent generationis ſuæ cauſam: quippe non ob ea quæ aſperis arterijs, ſed naribus moleſta ſunt, ſpi

† In impreßis eſt ἐκβολὴν, *ſed in anti.* ἐκπνοήν.
*** δυσαποσπάσεως *eſt in aut.*
† καὶ μετὰ συντονίας πλείστης γιγνόμεναι. *id eſt, & quæ maximo nixu fiunt.*

ſpiritus violenter emittitur: cum quo ex prioribus quoque cerebri ventriculis, nõnihil emitti ſolet. Proinde tuſsis capiti nihil conducit. Sternutamenta vero, niſi ob diſtillationem euenerint, haud mediocre præſidium afferunt capiti vaporibus oppleto. Neque mirum videri debet, ſpiritũ vnico impetu, & ex pulmone, & ex capite mitti. Etenim in tractatu de muſculis indicauimus, cerebrum thoraci principium motionis tranſmittere: à thorace vero dilatari, contrahiq́ue pulmones. Quum igitur inſurgit, vt ea quæ nares infeſtant expellat, vtroque vtitur expirationis meatu. Altero quidem quem ipſum per ſe fecit, altero vero neruis, veluti longis quibuſdam manibus, in thoracem demiſsis. Per hos enim illũ cõtrahit: per oſſa vero quæ à percolandi officio ethmoidea vocãtur, ipſum vaporantem emittit ſpiritum. Atque hæc ſunt facultatis à voluntatis imperio pendentis, ſymptomata. Vomitus vero, quanuis illis proportione quadam reſpondeat ad naturalem refertur facultatem: vt vomitum autem nauſea, ita tuſsim ſcreatio præcedit. Atque vt nonnulli nauſea affecti, non vomuerunt: ita ſcreantibus quibuſdam, nõ ſequuta eſt tuſsis, idq́; ob cauſæ exiguitatẽ. Nam interdũ ob pauxillam

gut

gutturis aſperitatem, interdum ob tenuē quandam ac omnino paucum humorem, ſcreatio excitatur. Quicquid enim ſpiritú interceperit, id ſemper tuſsi reijcire oportet: ſiue id humor fuerit à capite defluens vt in deſtillationibus, ſiue aliquid in aſperis arteriis coaceruatũ, vt in peripneumonia, pleuritide, & in cõuexarum iocineris partiũ phlegmone, aut in gutturis ipſius aſperitatibus. Præterea deſtillationibus à capite deriuatis, proportione reſpondent ea, quæ inter bibendum, aut edẽdum gutturi illabuntur. Eſt & aliud tuſsis genus, quod ad inſtrumentorum reſpirationi ſeruientium intemperiem refertur: id in primis conſiderauerunt viri ex Pneumatica ſecta probatiſsimi, è quorũ numero Athenæus quoq; cẽſetur. Verũ qua neceſsitate intẽperies tuſsim excitet, aliqui eorum ne vno quidem verbo dicere aggreſsi ſunt: alij offendere ſe ipſum aiunt ſpiritum: alij obſcurioribus, etiamnum verbis garrientes, aliquid ſeſe dixiſſe arbitrantur. Ob id tamẽ haudquaquã reprehendẽdi ſunt viri huius rei cauſam ignorantes: quin potius laudandi vidẽtur, vt qui ſuo ipſorũ ſtudio dignam inuenerint quæſtionem. Igitur id genus tuſsis fit refrigeratis reſpirationis inſtrumẽtis. Sed ita affecti, nihil inter tuſ-

ſien

ſiendum expuunt. Neq; violẽta tuſsis, neque coacta, ſed adeo exigua eſt, vt & ſupprimi, & ne eueniat prohiberi poſsit: id q; vel in totũ, vel magna ex parte. Atqui vehementem tuſsim, ſpiritus detentus non vincit. Iam quæ res ſit ſpiritus detẽtio, in alijs ſubinde libris indicauim'. Neque ſolum pro tempore, & derepente ſpiritus retentus, tuſsim ab intemperie pendentem fieri prohibet, verùm etiã (niſi magna admodum fuerit) eam curare poteſt: quippe augetur in inſtrumentis reſpirationis calor ob cohibitam reſpirationem, ſpirituſque ſub thorace violenter oppreſſus, in omnes arctos meatus penetrat. Atq; hæc vtraque dum fiunt, læuigant omnia, & ad temperamenti æquabilitatem perducunt. Sed cur per inæquales intẽperaturas tuſsis excitetur (Id enim dicebam non ſatis à Pneumaticis medicis explicatum) equidẽ explicare tẽtabo, à rei ipſius eſſentia ſum pto exordio: ita enim decet eos, qui cũ demonſtratione quippiam dicturi ſunt. Igitur intemperies interdum ſimplici qualitate conſtat, quũ corpora vel calidiora, vel † frigidiora, vel aridiora, † vel humidiora fuerint: aut per coniugationẽ quãdã ita afficiuntur. Interdũ præter huiuſmodi qualitates diſpergit in ipſis, veluti ros, id quod

† ἢ ὑγρότερων *eſt addẽdum in græ. impreſsis.*

intem

intemperatum eſt. Quòd æqualis autem intemperies nullo penitus dolore cruciet: & per hecticas febres declaratur, & per cõ plures frigidos affectus, vbi æqualiter particulas quaſdã occupãt, quippe huiuſmodi intemperies cuilibet ita affecto, fit veluti acquiſititia quædam natura. At nullum corpus à ſua ipſius natura infeſtatur. Nam (vt Hippocrates ait) ij quorum natura mutatur, corrumpiturque, dolore afficiuntur: nõ quorum iam mutata, aut corrupta eſt. Tunc enim corpora dolent, quũ & mutantur, & à ſua natura recedũt, quẽadmodum ſuperiore quoque libro demõſtratum eſt.

Egit hactenus Galenus de cauſis ſymptomatũ motus ſenſu percepti et volũtarij, nũc autẽ perſequi videtur ea ſymptomata, quæ motũ ſenſum latẽtẽ, ſequũtur, qualia ſunt dolor ab intẽperie inæquali, laſsitudo triplex, rigor, horror, & alia huiuſmodi, quorũ cauſas diligẽtiſſimè inueſtigat, obiter explicans qua ratione ad cauſas cõtrarias idẽ ſymptoma ſequatur: tandẽ addit animi motiones maximè deprehendi ex animalibus pathematis, vt ira, gaudio, timore, dolore, verecũdia, in quibus omnibus caloris natiui cum ſanguine & ſpiritu motus inſignes fiunt.

CAP. V.

Igi-

IGitur quum in corpore quopiam ſentiendi vi prædito, inæqualis ſuboritur intemperies: quanta fuerit intemperantiæ magnitudo, tāta etiam erit moleſtia. Quo fit vt in acutiſsimis validiſsimisque febribus, ſolidę animalis particulæ doleant, dū à calore præter naturam transmutantur, alteranturque. Quin incipientibus morbis, antea quàm febris appareat, plurimi inęqualitatem quandam ſentiūt, nonnunquam per vniuerſam corporis molem: ſed qualis ea ſit, enarrare non poſſunt. Ego verò pro miraculo ducā, ſi quis in his libris verſatus tantam poſsit iactare felicitatem: vt nūquam fuerit huiuſmodi ſymptomate correptus. Nam in intima vniuerſi corporis mole, rei cuiuſdam à noſtra natura alienæ, ac velut inſperſæ, ſenſus oritur, vt putetur id quod ſparſum eſt, interim ſub calidum quidpiam eſſe, interim erodēs citra calfactionem, interdum vtroque modo affectum: aut præter hæc, omnes carnes videantur ſenſim diſtendi. Ac omnibus huiuſmodi ſymptomatis laborantes, & inæqualitatem quādam ſentire ſe aiūt, & pandiculantur, omnesq́; partes diſtendunt, idq́ue à naturali quodam impetu. cuiuſmodi nuper diximus, omnibus animalis partibus à natura datum, quo ſerua

rentur permanerentq́;. Diſtendũtur verò maximè à ſomno experrecti, vtpote vaporantia excrementa in carnibus ſentientes: tum ob congeſti cibi concoctionem, tum ob huiuſmodi motionum quietem. Atq; hoc etiam minimi quique puerorum habent, quamuis à nullo præceptore edocti, quippe natura ad huiuſmodi motum excitat animalia, vaporantibus excrementis ſpiracula fabricans. Porrò huius moleſti ſenſus altera ſpecies eſt in laborioſis affectionibus, ſiue is poſt labores, ſiue ſponte eueniat. Triplex autẽ in laſsitudine fit ſenſus. Videtur enim corpus vel fractum, & cõtuſum, vel vltro citroq́ue diſtentum, aut quum mouetur plurimis veluti vlceribus conſperſum. Igitur quum tendi videtur corporis moles, idq́ue citra exercitationẽ, affectus huiuſmodi nominatur laſſitudo tenſionis ſpontanea: euenit autem potiſsimũ ob multitudinẽ cõtinentes partes diſtendentem, vt ab ipſis contineri nõ poſsit. Quum verò vlcerum ſenſus per corpus tranſcurrere videtur, id verò motis accidit magis quã quieſcẽtibus, niſi admodũ magna fuerit laſsitudo, ac putãt ita affecti perinde ſe pũgi, ac ſi cõplures ſint ipſis acus infixæ: nã à rodente humore hoc ſymptoma naſcitur. Per tertiũ verò laſsitudinis

nis genus, quo aiunt ofsium fe fatigatione detineri, ne minimum quidem motum laborantes tolerare poſſunt: manifeſtuſq; in ipſis eſt caloris ſenſus, neq; nó mordica tionis, tenſioniſq;: quippe magna vitiatorum humorũ copia, per totum animalis corpus trãſmittitur. Sed ita affectorũ nullus pandiculari tentat: nam omnem motum formidãt. Per reliquas duas laſsitudines quarũ alteram vlceroſam, alteram intentricem vocare cõſueuerũt, huiuſmodi quoque motus fieri videtur, quum vel exiguæ omnino fuerint, aut ob excrementa flatus, vaporiſque naturam ſeruantia exortæ: Itaq; vlceroſa laſsitudo, quum maior fuerit, ipſa quoq;, quo min' moueãtur laborãtes prohibet. Verũ perinde quaſi ab vlcere corpus, & dolore afficietur, & horret, ac proximè accidit, ſi hoc ſymptoma increuerit, ad horroris affectũ, quippe per hunc horrent laborantes, priuſquam moueantur. Ac quemadmodum quum vlceroſus ſit ſenſus, horrent vbi mouentur, magiſque ſi validior fuerit motus: ita horroris affectus, vbi motus acceſſerit, rigorẽ inducit. Atqui hęc omnia à mordacib' oriuntur excrementis. Differunt verò inter ſe, tum excrementorum multitudine, tum motu, tum etiam quòd alia magis,

alia minus erodunt. Prçterea quod labo rantium corporum, alia suapte natura non ita facilè afficiuntur, alia sunt imbecilla, alia facilè sentiunt, alia hebetiori sunt sensu. Corpus enim quod & facilè sentit, & imbecillum est à causa perquàm exigua molestiam percipit. Robustum autem, &quod hebetiori sensu prçditum est, nisi magna fuerit causa, ab huiusmodi symptomate non infestatur. At fortasse non in ijs modo, verũ etiã in eo qđ causa vel mouetur, vel non mouetur: aut vbi mouetur, in eo quod vel citius vel tardius mouetur, plurima deprehenditur in symptomatis differentia. Ac mihi quidẽ ita videtur. Præterea in eo quod idem homo, dum quiescit, solam interdum inæqualitatem sentit: dum mouetur, horrorem, dum vero exercitatur, rigorem. Quamobrem sic affectis consulunt medici, ipsa experientia docti, vt ab omni motu sese abstineant. Sic etiam ex ijs, qui cruditatibus abundabant, nouimus quosdam, dum quiescerent nihil perpeti, dum vero vel balneis, vel soli se exponerent: horrere: idque multo magis, si exercitarentur. Nam & sol, & balneũ, & exercitatio, ad motum excitant excrementa, alioqui quiescentia: quemadmodũ & ex
ani

animi affectibus ira. Porrò à seipsis ad motum insurgunt excrementa, si vel calefiāt, vel extenuentur, vel in spiritum degenerent. Neq; mirum videri debet, ea minus corpus infestare, dū quiescunt: dum verò mouentur, & plurimum lædere, & concutiendo horrorē, rigorem & febrem inducere. Etenim dura corpuscula, quę oculis extrinsecus incidunt, si clausis genis particula quieuerit, aut parum omnino, aut nihil molestiæ inferunt: si vero moueatur, intollerabili dolore cruciant. Verum citra exemplum ex ipsa rerum natura facilè deprehēditur, causam motam quiescēte esse molestiorem, pręsertim quum per sensibilia corpora defertur, veluti nunc nobis propositum est. Quippe non de succis, qui per venas aut arterias fluūt, sermo est: sed de his, qui & in carne, & in vniuerso corporis habitu continentur. Quum igitur quidpiam per hæc transiens, violenter fertur ad cutem: in ipso per carnem cutemq; transitu, necesse est vt instimulet, & pungat, & diuidat, & vulneret eas partes omnes quibus obuium fuerit. Quod omnis autem causa mordax, motaque, siue frigida fuerit siue calida, animanti & horrorē, & rigorem inducat, in primis ex huiusmodi argumentis conijcere licet. Si sano cor-

pori aquam feruentem derepente infundas, aut igneas ſcintillas incutias: protinus horridum euadet. Quin adhibito interdú adurente medicamento, quod vlcus excitare poſsit: aliqui in primis quidem horrore, deinde rigore, poſtremo febre afficiuntur. Etenim tertianæ febres, vt omniú maximè bilioſæ calidæq; ſunt, ita præ cęteris maximè horrorem efficere poſſunt: & quo fuerint ſynceriores, eo vehementior fit in ipſis rigor. Nam & ardentem febrem, rigor ſuperueniens ſoluit, authore Hippocrate: quod bilis quæ interim in venis cótinebatur, à natura per carnes ad cutē critice excutiatur. Igitur motióis ipſius, qua per ſentiētia corpora, bilis defertur, rigor ſimul & ſymptoma eſt & ſignum. Nā huiuſmodi rigore affecti, poſtea ſudant, ac à febre liberantur, eiecta ipſis bile. Interdú non ad cutem, ſed ad internas partes impetum faciens, vel vomitione, vel alui ſolutione deijcitur. Sæpenumero & intro, & foras, eadem die defertur, vt ſimul & ſudore, & vomitione, & alui deiectione, bilis vacuetur. Porro qui rigorem arbitrantur ardenti febri ſalubrem eſſe cauſam, vtpote refrigerantem, eo quod contrariorum contraria ſunt remedia, ij tota errāt via. Principio ſi hoc verum eſſet, licebat eis

eis rigorem excitare, si laborātē aqua frigida vel aspergerent, vel perfunderēt, aut si nudum ad frigidū aërē educerēt, aut si ipsum in aquæ frigidæ cisternā demergerent. Atqui si ardētē febrim rigor solueret, ob hoc quòd contrariā infert affectionē, oporteret post rigorē febrim quiescere. At non sic se habet veritas: quippe tantum abest vt protinus incidente rigore quiescat febris, vt post rigorem multò appareat vehementior. Quiescit autē quum ægrotans vel sudauerit copiosè, vel pallidam bilem vomitione, aut alui solutione eiecerit. Etem̄ cōsentaneū est, dū maiore impetu mouetur bilis vehemētius febrim accendi. Igitur nō solū frigidas, verūetiā calidas causas, posse rigorem parere iā dictum est. Cæterū quamobrē causas inter sese maximè contrarias, idē symptoma sequatur: deinceps dicendū est, si rursus admonuerimus eorum, quæ facultati expultrici molesta esse demonstrauimus. Non enim ita excernit ea quæ in amplis instrumentorum spatijs cōtinentur (veluti iam ostensum est in ventriculo, vtero, vtrisque vesicis, intestinis, pulmone, & naribus) vt interim ea, quæ in ipsis corporibus nascuntur excrementa negligat. Sed ab his quoque excernit id quod redundat, &

citra molestiam, & trāspiratione quæ sensum lateat: id verò, si à naturali lege animal non aberret. Quòd si erodens quidpiam in ipsis constiterit, maximè si vehementer moueatur, tum & tristātur, & ad expellendum festinant, quocūq; maximè licet modo è mēbrorum ipsorum corpore quippiam expellere: cōtrahunt itaq; ac cōstringunt sese partes: mox quælibet impellit eam, quā cōtinet excrementi portionem. Quòd si vniuersas partes simul moueri intelligas, totum corpus concussione, quassationeq; vexabitur, qualis apparere solet in ijs qui rigoribus correpti sunt. Cōcussis itaque musculis omnibus, necesse est, opinor, cum ipsis & articulos vnà concuti: atque ob huiusmodi concussionem, laborantes, inuiti & distendūtur, & incuruantur. Sed differunt huiusmodi motiones à conuulsione, palpitationeq;. In conuulsione quidem similis est motus, non tamē ab eadē perficitur facultate. In palpitatione non est similis, verùm, vt antea dictū est, attollitur membrū vnà cum distincto ab inflante spiritu musculo. In rigore verò, vt nuper diximus, quælibet pars mouetur, musculo seipsum attollente: per illarum autē motum, totus musculus quassatus concussusque, articulos qui bus

bus innectitur, vnà secum concutit. Huiusmodi motus, in thoracis quoq; musculis, per inæquales intemperies, deprehenditur: quo fit vt tussis, & breuior, & screationi non absimilis sequatur: quippe concutiuntur musculi, ea quæ carnibus ipsorum molesta sunt, per pulmonum arterias excernere cupientes. Per alias verò tusses, vt indicauimus, ipsi vehementer pulmonibus incumbunt, vt multam eandẽque confertam efflatione͂ excitent. Ac maiore quoq; cum impetu irruunt, affatim spiritum explodentes, quũ quidpiam in naribus contentũ, fuerit expurgandũ. Atque hoc intelligentes nonnulli, indigẽtes quidem sputi per thoracẽ ac pulmones reiectione: sed quia imbecilli sunt facultate, sternutamẽta sibi cient, irritatis naribus, vt ob violentum motionis impetum expuant ea, quæ antea tussiendo reijcere haudquaquam poterant. Sed de huiusmodi tussis genere iam antea dictũ est satis. Ea verò tussis, quæ ob intemperiẽ instrumentorum respiratiõis accidit, ad rigoris, horrorisq́; genus pertinere videtur: sed hoc interest, quòd ipsa citius sentitur, eo quòd respirationis instrumenta nunquã quiescunt. Iam enim demonstratũ est, huiusmodi affectus per totũ corpus, ex mo-

tu maximè deprehendi. Igitur si ea quæ infestant, suapte natura humida fuerint, ob concussionis, quassationisq; violentiã per tussim ac rigorẽ ab expultrice facultate impulsa, vltro citroq; ferũtur, donec ad cõueniẽtẽ locũ applicuerint: alia quidẽ in superiorẽ, alia in inferiorẽ ventrẽ, alia denique ad cutem ad exteriora: ita enim sensum haudquaquam effugiet ipsorum vacuatio. Si vero solus spiritus, sine humiditate, immodicè vel calidus, vel frigidus per corpus transeat: is tum horrorem excitat, atq; nonnunquam rigorẽ quoq;, eandem ob causam. At ita affecti, neque vomunt, neq; sudãt, neq; per aluũ quicquã deiiciunt, quod sensus notare queat, quod aërea sint ea quæ expultricem facultatem irritant. Ita balnearũ caldariũ, præsertim derepente cõfertimq;, nõ præcedente calfactione, subeuntes, illico horrescimus. Neq; non vbi affatim ad frigidũ aërẽ eximus, aut licet non affatim, cogamur tamẽ in ipso diutius immorari: id quod peregrè profectis nonnunquã euenire solet. Atqui huiusmodi rigoris remediũ est calfactio, non sudor, non vomitus, nõ alui deiectio. Quum itaq;, vt dictũ est, & frigida, & calida causa, rigorem excitare possit. Calidæ quidem, si aërea fuerit, refrigeratio satis

tis efficaciter auxiliatur: si verò sit humor, febris eam necessario sequetur, curatur vero vacuatione, frigidæ vero, si aërea est, remedium est calfactio: si vero sit humor, interdum sola concoctio sufficit, interdũ vacuatio, nonnunquã ambæ conueniũt. At rigores semper febrim sequi, vt verus sermo est, ita verus ex omni parte nõ est, ne si ipsum quidem vt decet definias: sic enim is qui antiquorum placita enarranda suscipit, ea amicè magis definire, quã morosè redarguere debet. At ne sic quidẽ verus est sermo, vel si definientes dixerimus, rigores citra externam occasionẽ è corpore concitatos, febres necessariò sequuntur. Quippe nõ solum nobis, sed cõpluribus quoque ante nos medicis, visus est rigor sine febre: non tamen adeo validus, vt is qui vel tertianam, vel quartanã præcedit, vel is quoq; qui & ardẽtes & calidas febres finire potest. Solent huiusmodi rigores à praua victus ratione originẽ ducere, dum per ocium quispiã se impleuerit, & subinde à cibo lauerit. Quod si ciborum quoq; temperatura frigidior sit, ac pituitã suapte natura parere possit: tũ promptissimè rigor excitatur, adeo vt per quàm difficile sit calorẽ reuocare. Nõ igitur mirandũ est superioris seculi medicos,

huius

huiusmodi rigoris speciem nunquam vidisse, vtpote minus aberrãtibus tunc quã modo à salubri victus ratiõe hominibus, neq; etiam tam crebro se lauantibus. Verùm vt nuper dicebamus, huiusmodi rigores, ad horrorem magis, quàm ad concussionem pertinent. Quũ enim praua excrementa fuerint congesta, in primis inæqualitatem sentimus: quæ si acria fuerint, erosionis quoque sensus accedit. Secundo loco exiguum horrorẽ percipimus, mox maiorem, tandẽ adeò magnũ, vt iam rigoris particeps esse videatur. Postremo rigorem ipsum solum sentimus, quo partes & quatiuntur, & concutiuntur. Huiusmodi rigor ob frigidos succos nunquam excitari videtur. Principio enim ob crassitudinem vehementer moueri non possunt. Quòd si aliquando extenuentur, rigorem quidem excitabunt, sed non ita validum. Quippe non tantã admittit subtilitatẽ extenuata pituita, quantã extenuata flaua bilis. Atque vt huiusmodi rigoris modus, parum fuit veteribus cognitus: ita perniciosus in morbis rigor, ipsis nõ fuit ignotus: dicente in Aphorismis Hippocrate. Si rigor per febrem non intermittentẽ acciderit imbecillo, lethalis est. Etenim in huiusmodi rigoribus, insurgit quidem natu-

ra con

ra contra res noxias, quo eas expellat: sed victa cadit, extinguiturque: atq; hanc ob rē redditur symptoma perniciosum. Iam in quartanis febribus succus ex calido frigidoq; mixtus rigorem excitat. Quippe atra bilis suapte natura frigidus succus censetur. Vbi vero adeo putris effecta est vt febrim inducat, quanta fuerit putredo tantus erit & calor. Atqui rigorem à calidis etiam causis excitari, iam ostendimus. Quod autem & in his omnibus rigoribus algidæ & exangues appareant partes, præcipuè extremæ, ac cum his vniuersa quoq; cutis, & partes ad superficies ei substratæ, & quam ob causam ita eueniat: id profecto deinceps considerandū est. Porro motus quidā est omniū primus, atque (vt ita dicam) maximè princeps, quo calor natiuus, tum intro, tū foras defertur, idque in compluribus animi pathematis. Ac vnà cum ipso & sanguis & spiritus, modo ad interna, nempe ad suā scaturiginem, fertur retrahiturq; modo tendit ad externa, atq; diffunditur. Etenim animæ essentiā in alia quapiam tractatione definire, audax fortasse facinus putabitur: in hoc vero opere, præter audaciam, etiam superuacaneum videtur. At quæcūque tandem ipsa fuerit, è duobus alterum fateri oportet:

tet:

idq; citra refrigerationem: excitante verò impellenteq; ratione, patibilem animæ partē, nempe eā quæ & timet & verecundatur, mox redit, ferturq; foras eo maximè motionis modo, quo calor reuocatur ijs, qui in frigida se lauerunt. At in timore, neq; excitante, neq; impellente ratione patibilem animæ partē, magis ac magis calor extinguitur, vt nonnulli rigore quoq; infestentur. Vt in timore autem cōfertim, ita in mœstitia paulatim fit motus, magnitudine duntaxat ac vehementia, non toto genere differentibus inter se pathematis. Atqui nonnulli ob timorem, subitaria morte perierunt, vbi debilis suapte natura animula, sub valido pathemate oppressa, confertim & extincta & suffocata est. Etenim extinctio, pathematis naturam sequitur, ob refrigerationē eueniētis: Suffocatio verò, quum vniuersus sanguis ad principium confluit deferturque. At exiratis nemo mortu' est, vtpote quibus neque calor refrigeratur, neque robur dissoluitur. Præ gaudio autem, nonnulli supra modum pusillanimes, mortui sunt: haud aliter quàm timentes. Non enim iuncto robore cum feruore ad exteriora fertur animata facultas, quin è contrario, si quid antea fuit ei roboris,

id nunc

id nunc exoluitur, laxaturq́; : quum enim nimio gaudio laxata, petit exteriora: discutitur, atque dissipatur. Iam dolor è diuerso cogẽs animam moueri, haud leuiora, quàm maximus timor, affert symptomata. Quippe laborantes, decolores, apparent, refrigerantur, rigore cõcutiuntur: tremunt, pulsus minores reddũtur, & abolentur: tãdem †veluti syderati, attonitiq́;] moriuntur. Nam & in ijs fugit intimus calor ad principium: ac anima soluitur simul atq; extinguitur. Itaq; quum mortẽ inferre possint huiusmodi pathe, haud mirum videri debet, si animi quoque deliquium inducant: ac præterea ea symptomata quæ ad animi deliquium sequi consueuerunt, tum alia, tum eas excrementorum secretiones, quæ voluntatis imperiũ non expectant. Verùm non est nostri instituti, nunc in his diutius immorari: itaq; ad id quod propositũ erat redeamus. Quũ igitur rigor à calidis simul & rodentibus succis fiat: mirari haudquaquam oportet, si partes extremæ omnes refrigerantur, declinante animali facultate, vnà cũ sanguine ad interna. Quippe frigus hoc tempore, non internarum, sed externarũ partium sentitur: nõnulli enim tum vehemẽtissimè siti crucientur, vtpote seruato ipsis intrin

ὡσαυτως τοῖς ἐκπληγεῖσιν. est in græco. Quod Linac. vertit: similiter jis qui perterrentur.

rinsecus calore. Iã quòd huiusmodi symptomata non præter rationem eueniant rigore affectis, vel hac ratione colligere poteris. Si enim vehemẽs dolor vnam partem occupans, animi deliquium, refrigerationemq́; inducit: haud mirũ fuerit eũ, qui in vniuerso corpore consistit (si neque animi defectionem, neq; mortem affert) saltem algorẽ inducere posse. Nã dolores qui in rigore fiunt, cũ reliquis doloribus omnibus cognationẽ habere videntur: relinquuntur verò ab iis qui rapere hominẽ solent, & magnitudine, & tempore: sunt enim minores, breuioresq́;. Sanè cholicus dolor, sæpenumero duobus diebus perpetuis cruciare solet: rigor verò quo fuerit vehementior, eo quoq; breuior erit. Ac animæ motus in ipso, non ei qui timentibus euenit similis est: sed illi potius, qui verecundia affectis, aut frigida sese lauantibus, accidere solet. Itaque pugnat, certatq́ue, contra ea quæ molesta sunt, facultas, donec radicitus euellãtur cõcutianturq́;. At quia vehemẽtes facit incursiones, & in intimo corpore coaceruata, magna vi caloris inuadit: febrim à rigore accendit, auxiliarem habens in hoc certamine materiam, vnde & febris euadit vehementior. Quòd si aliquando inter certandum fati-

getur, anteaquã res noxias dimouere possit (id verò vel ob facultatis imbecillitatẽ, vel causæ magnitudinem, euenire solet) necessariò sequetur mors: quemadmodũ iam antea dictum est.

Cõpendio colligit quæ fusius antè sunt tradita, ostẽditq́; qui & quales sint facultatis expultricis motus, qui fiũt per tusses sternutamenta, singultus, rigores & inæqualẽ sensum rei à natura alienæ, indicãs vlcerosæ laßitudinis & pruritus causas. CAP. VI.

POstquã igitur huc vsq; sermonẽ perduximus: imponamus ei summã, breuibus quibusdã capitibus, omnia quę prædicta sunt, cõprehendentẽ: quibus si quid derelictum fuerit, id quoq; addere nõ grauabimur. Igitur tussis, sternutamentũ, singultus, rigor, violenti validique expultricis facultatis sunt motus. Pandiculatiões, & oscitationes ad eandem pertinent facultatem, & modum seruant: atque in horrore moderatior motus est. Sed longè moderatior etiã est is, qui per inæqualitatem infestat: vt ipsum ferè nõ motũ: sed sensionẽ dũtaxat esse dixeris: qualis in vlcerosa lassitudine sensio est, ac multò magis etiã in pruritu: in hoc enim symptomate excrementorũ duntaxat, quæ pruriginẽ excitare possint, sensus est, neq; enim alio nomine

ne explicari poſſunt, niſi quis ea, aut nitroſa aut ſalſa, aut amara appellare voluerit, ꝙ huiuſmodi ſit ipſorũ natura, quàm ab externis rebus ſumpto exemplo diſcere licet, vt vrtica, ſcilla, muria, aqua maris & id genus reliquis: neq; nõ ab his quæ ad corpus pertinent. Quippe ſolet pruritus vexare eos, qui aut balneũ negligunt, aut ſtrigmentis referti ſunt, aut cruditatibus abũdant, aut praui ſucci cibos ingerũt: id verò longè magis in pſora, & lepra, ꝙ in huiuſmodi affectibus & plus ſit ſucci, & ſuccus ipſe craſsior: atq; ob hũc magis crebriusq́; pruriunt hi, quàm reliqui omnes ſine huiuſmodi affectibus pruriẽtes: ac nihil iuuãtur, vel ſi vehemẽtiſsimè ſcalpentes cutem ſibi detraxerint. Succus enim noxius manet infixus, atq; (vt ita dicam) impactus in cute: neq; enim exiguus eſt, neq; tenuis, veluti in iis qui balneũ neglexerũt, aut ſordibus ſcatẽt: ſed & plurimus eſt & craſſus, & nõnunquàm lentus quoq;. Atq; huiuſmodi ſymptomata omnia à vitioſis ſuccis originẽ trahũt: ac differũt inter ſeſe, & qualitatẽ, & quãtitate cauſæ: præterea & quiete & motu. Eſt enim exigua, tenuis, ſalſa, & immota in pruritu. Itẽ exigua, tenuis, erodẽs, & immota in laſsitudine vlceroſa. At multa, craſſa, ſalſa, & immota in lepra, pſo

raq́;. Pauca verò, tenuis, & mordax, ac breuẽ quendã motũ habens, in horrore. Si verò aut vehemẽtius mouetur, aut multum abũdat, aut mordacior eſt, iam nõ horrorẽ, ſed rigorẽ excitat: maximũ quidẽ, ſi plurima ſimul & mordaciſsima fuerit, vehemẽtiſsimeq; moueatur: Minimũ verò, vbi aliquod ex iam dictis modicè auctũ, efficit, vt horror in rigorẽ tranſmutetur. Cõplures verò inter hunc minimũ, & illũ maximũ rigorem, medij ſunt, tũ magis, tum minus inter ſeſe differentes, prout cauſa magis, minúsve, aut † mouetur, aut erodit, aut abũdat. Præterea prout cauſa rigorem excitans in dictis differentijs, vel omnibus, vel quibuſdã, vel earũ aliqua fuerit aucta. Atq; hæc ſymptomata omnia, tum in cute, tũ in ſubdita illi carne, congeſta cauſa, conſiſtere ſolent. Quòd verò ad tuſsim, ſternutamentũ, & ſingultũ attinet: Tuſsis quidẽ cauſa, tum in pulmone, tum gutture, tum etiã thorace conſiſtit: ſternutamẽti, in iis quæ ſunt circa nares: ſingultus verò, & in vẽtriculo & gula. Porro in omnibus quæ dicta ſunt, vnũ cõmune habetur: nẽpe expultricẽ facultatẽ ſeipſam ad vehementiſsimos motus excitare, quo excutiat ea quæ infeſtant, quẽadmodũ anteà diximus: tum alià quædã de ipſorũ generatione,

† *In græc. legitur κινεῖσθαι: ſed melius eſt cum interprete legiſſe κινεῖσθαι.*

ne,tum etiã quòd sternutamentũ ex accidente nõnunquã, humorũ in pulmone residentiũ, remedium est, licet eius rei gratia non fuerit excitatũ. Sic etiam vẽtre & gula, in quibus singultus cõsistit, sternutamẽta purgant, idq; per accidẽs: atq; hanc ob causam inter singultus remedia numerantur: quippe vẽtriculũ simul impellunt musculi, qui per ventrẽ & intendũtur, & contrahũtur, vt violenta fiat in molestas causas, quas discutere oportet, incursio. Diximus iam ferè omnia, tũ facultatũ, tũ functionũ animalium symptomata, ac causas quoq; à quibus illa oriuntur. Atqui in primo volumine, nulla naturalis, siue functionis siue facultatis, symptomata tractauimus. In hoc vero secundo, propter sermonis cõmunitatẽ, nõnihil de ijs quoque dictum est. Sed propriũ illis librum dicabimus; nempe † tertium qui hunc sequitur.

† Tertium scilicet in ordine librorum de causis symptomatũ.

Inuestigatis hactenus causis symptomatũ facultatis animalis sensiticæ & motricis, quæ rit tandẽ hoc cap. Galenus causas symptomatũ facultatis animalis principis. Verũ vt quæ scribit melius intelligantur, in memoriã reuocãdæ huius principis facultatis functiones, quæ medicis tres sunt præcipuè: imaginatio, cogitatio, & memoria, quarum singulæ abolitæ debiles aut deprauatæ esse possunt.

CAPVT VII.


VErùm vt in his duobus omnia anima lis facultatis symptomata complecta mur, de his quoque quæ principes functio nes impediunt, differendum videtur. At que in ipsis tria symptomatum genera de prehenduntur: vnum quum aboletur fun ctio: Alterum quum læditur. Tertiũ quum in alienam speciem degenerat. Aboletur quidem in stultitia (vt vocant) & obliuio- ne. Sæpenumero autem morbi in absces- sum declinantes, stultitiam, aut obliuionẽ induxerunt. Sanè vidimus nonnullos & li terarum & artium omnino oblitos, adeo vt ne nominum quidem suorum meminis sent. Ita enim Thucydides scribit in pesti lentia euenisse, ex qua nonnulli, quum ser uati fuissent, neque seipsos, neque suos ne cessarios agnouerunt. Atque visi sunt ali- qui quibus extrema senectus, huiusmodi attulit symptomata. Vnde manifestũ est, & stultitiam & obliuionem à frigore na- sci: quippe medicamentis, quæ huiusmodi symptomata facere possunt, refrigerandi facultas est. Hæc igitur symptomata cere- bri corpus refrigeratum esse declarant. Quemadmodum & apoplexia, & morbus comitialis, ob pituitæ in ventriculis ipsius aceruatæ multitudinem accidere vidẽtur:

pro

proinde horum ſymptomatũ, tum generatio, tũ ſolutio ſubitaria eſt: id quod per † corporum intemperiem fieri haudquaquam poteſt. At modica offendicula, ac veluti torpores, tum rationis, tum memoriꝑ ob minorem eueniunt refrigerationẽ aut ob frigidum aliquod medicamentum, vel corpori ingeſtum, vel capiti adhibitũ, aut ob ſuccum aliquem frigidum in cerebro congeſtum. Porro omne delirium, deprauatus eſt principis facultatis motus à prauis ſuccis, aut cerebri intemperie ortum habens: ac phrenitis nominatur, ſi febris acceſſerit: mania vero, ſi citra febrim accidat. Hæc interim mordaces ſequitur ſuccos, qualis eſt præcipuè flaua bilis: interim vero à calidiori cerebri intemperatura naſcitur. Sola autem melancholica (vt vocant) dementia, à frigidiori ſucco, vt cauſa, euenire ſolet. Nam phrenitis non ſimpliciter ob calidos ſuccos accidit, ſed quum phlegmonem, vel in cerebro, vel in ipſius membranis pariunt. In alijs vero febribus deliria mouentur, huiuſmodi ſucco in cerebro abundãte. Atq; ea quꝑ in acutiſsimarum febrium vigore oriuntur, mordacem, calidumq́ue vaporem habent, cerebrum occupantem. Melancholicæ autem dementiæ, variæ ſunt ſpecies:

† *Mēdosè legitur in Græc. impreſ.* συμπτωμάτων *pro* σωμάτων

prout in ipsis particulatim, dolosæ, suspe-ctæq; imaginationes apparent. In omnibus autẽ vnum commune habetur, quod Hippocra. quoque dixit. Si timor & mœstitia diu perseuerant, atram bilem significant, quippe omnes præter rationẽ mœsti sunt: quòd si eos interrogaueris, quàm ob rem tristentur, non habent quod respondeant. Ac non pauci ipsorũ mortem, atque alia quædam haudquaquam timenda, timere videntur. Sunt qui vehemẽter cupiant mori. Quòd verò atra bilis, rationalis animæ arcem occupans, timorem, mœstitiam, & mortis expectationem inducat, nihil mirandum est, quum videamus in rebus externis nihil magis quàm tenebras nos perterrefacere. Si igitur quidpiam tenebris simile rationali parti animæ circunfundatur: hominem semper timere necesse est: vtpote qui semper timoris causam in corpore circunferat. Quod enim nobis extrinsecus accidit, quum ambiẽs nos aër vastissimis tenebris fuerit obscuratus: id melancholicis ab intimo corpore erumpere videtur, occupãte cerebrũ: vel ipsamet atra bile, vel vapore quopiam melãcholico: vt in eo morbo, quem & inflantem, & hypochondriacum appellant, euenire vidimus.




CL. GALENI DE CAVSIS SYMPTOMATVM LIB. VI.

GVLIELMO COPO INTERPRETE.

Qua methodo prius quaesiuit causas symptomatũ facultatis animalis: eadẽ hoc libro inuestigat causas symptomatũ facultatis naturalis & praecipuè nutritionis, agitq́ primùm de causis symptomatum concoctionis abolitae, debilis aut deprauatae, tã in hepate & venis quàm in ventriculo: censetq́ facultatum secundum naturam actiones noscẽdas cognituro, quae noxam illis inferre possunt. Sub finẽ huius cap. addit omnẽ insignẽ intẽperiẽ vires deijcere & facultates laedere, vt quarũ essentia in temperamẽto sit posita, suiq́ generis affectus creare.

CAP. I.



Ymptomata quae in naturalibus, tum actionibus, tum potẽtijs eueniunt, eandem habent inquisitionis viam & rationem

cum ijs, quæ animali potentiæ superueni-re solent: ac operæpretium fortasse fuerit, vt quemadmodum in his particulatim per species exercitati sumus, ita & in illorum speciebus exerceamur. Itaque caput huius rei fuerit, si omnes causas, quæ potentijs noxam inferre possunt, noscere voluerimus: vt quo pacto dum sanæ sunt, suas actiones perficiunt, noscamus. Etenim si terendo, ventriculus cibos concoquit: si quo minus terat impediatur, concoctionis efficit symptomata. Porrò si nihil omnino terat, etiam nihil omnino concoquere: si vitiosè terat, vitiosè quoque concoquere dicetur: Eadem ratione si putrefaciendo concoquit, nisi putredinem induxerit, haudquaquam cõcoquet. Verùm si concoctio ipsa, vt nos demonstrauimus, alteratio est secundum qualitatem, quam nimirum ventriculus facit, dum sibi cibos similes reddit: nemo negauerit alterationis errorem, symptoma fore concoctionis. Quòd si nulla penitus fuerit alteratio, vocabitur hoc symptoma† cruditas, haud aliter quàm vel immobilitas vel sensus priuatio in animalis potentiæ actionibus, significans pręcipuæ partis animæ actionum & abolitionem, & priuationem. Si verò fiat quidem alteratio, sed

† ἀπεψία.

non

non vt oportet, vocabitur & hæc cruditas: non priuationem, vt prius illud ſymptoma, ſed vitium duntaxat ſignificans. At † vitium bifariam accidere ſolet: aut enim tardè alterantur cibi, vt vix propriam tranſmutationem ſuſcipiant: aut corrumpuntur omnino, vt nullam concoctionem admittere poſsint: illud bradypepſia, id eſt tarda concoctio, nominatur: hoc nullum proprium nomen obtinet. Atque huiuſmodi ſunt concoctionis noxæ. Quarum cauſa communis quidem eſt alteratricis potentiæ à ſcopo aberratio: Hæc tum per ſpecies, tum per genera diuiditur. Quippe duo prima ſunt genera aberrationis, Vnũ quum potentia ipſa affecta eſt: alterum ab externo quopiam errore naſcitur: atque vtrunque rurſus diuiditur. Nam potentia bifariam læditur, aut per ſuam ipſius eſſentiam, aut per aliquem inſtrumentorum morbum. Error verò extrinſecus adueniens, & ipſe triplex eſt: vnus à ventriculi excrementis, alter à cibis, tertius à dormiendi tempore oritur. Iam in propria eſſentia noxæ, intemperies quædam agentium qualitatum ſunt. Ab inſtrumentis verò pendent eryſipelata, œdemata, phlegmonæ, ſcirrhi, abſceſſus, † & alij quidã huiuſmodi morbi; atq; horũ alij ſimplices

† Mendoſe legitur in græci impreſsis, δυνάμεως pro κακώσεως.

† In græc. additur καὶ ἄνθρακες, id eſt, et carbũculi.

ces alij compositi in ventriculo cõsistunt. Propter quos omnes ventriculus malè concoquit, ipsius potentia qua concoquit noxam sustinẽte: per intemperies quidem in sua ipsius essentia, per alios vero morbos qui instrumentales sunt, ipsa duntaxat impedita. Quòd si cum intẽperie, instrumentorum morbi componantur, vtroque modo noxam patietur. Atque ob omnes iam expositas causas, ventriculus malè concoquere solet, vel nullo in cæteris † incidente errore. E contrario autem ventriculo ipso haudquaquam affecto animans non concoquit, aut propter ciborum, potionumq; immodicam quantitatẽ, aut prauam qualitatem, aut quia intempestiuè, aut nõ recto ordine ingeruntur, aut excrementum inutile, aut somnum breuem. Porrò vbi vitiosa ciborum qualitas infestat, aut excrementa in ventriculo redundant, malã cõctionẽ corruptio comitatur; quanquam & ordo præposterus, & cibus intẽpestiuè exhibitus, idem efficere possunt. Ordinem præposterum appello, si quis exempli causa, aut cotonea, aut mala punica in primis ingesserit, mox holera sumat ex oleo & garo. Intempestiuũ verò cibum voco, si quis in aurora, antea quàm vel ipse modicè fuerit exercitatus, vel hesternus cibus descenderit

† τῶ ἔξωθεν *additur in græ. i. ijs quæ exterius accidũt, quod perperàm videtur interpretari Lina. eorũ quæ intrinsecus sunt.*

† Locũ hũc ita vertit Linac. Porrò corruptelæ, quæ quidẽ fumosæ sunt, ex calidioribus magisq; biliosis veniũt cibis. Acidæ verò, ex ijs qui frigidiores natura sunt magisq; pituitosi: similiter autẽ & in excrementis fit. Acidas quidẽ creãt quæ pituitosa sunt & frigida: fumosas quæ calida et biliosa. Etiã ipse venter sub frigidioribus quidem morbis acidas: sub calidioribus fumosas mutationes facit. Et omnino ita sententia est magis integra. Græcam autem vocem κνισώδεις, quam nidorẽ referentes, vertit Copus, fumosas interpretatur Linacrus, antiquã versionem fortasse secutus, in qua habetur quasi capnosus fumus ascendit.

derit, prandium sumat.† At corruptela, si nidorem referat à calidis biliosisque cibis accidit: si acidus fuerit ructus, à frigidis natura atq; pituitosis. Similiter de excremẽtis dicendum est: quippe acidum ructũ excitant pituitosa frigidaq;, nidorem biliosa & calida excrementa. Atque ventriculus quoque per morbos frigidiores, acidos ructus: per calidos vero biliososq;, nidorem ructat.] Bradypepsia, id est tarda concoctio fit, quia difficulter cibi corrũpuntur, vel quod potẽtia illos nõ superat, vel quod somnus breuior fuit, quàm vt eos vincere posset. Vbi verò citra corruptelam cibus omnino coctione priuatur, tũ scire oportet ventriculum plenè victum esse, vel ab immodica multitudine, quã potentiæ imbecillitas ferre non potuit, aut à vehementi frigore: quippe ventriculus in huiusmõ

di

di constitutionibus, ita à coquēdo cessat, vt ne aggrediatur quidem omnino concoctionem. Huiusmodi exemplis facilè intelliges eas quæ in vasis accidunt cruditates, nam ad eosdem modos reducuntur. Similiter & eas quas tertia coctio patit, quas mox totius corporis nutricatio sequitur, eandem habente proportionem ad venas* cibo qui à ventriculo ipsis transmittitur, atque ad carnes eo qui à venis in ipsas digeritur, quam habent† cibi potionesque) ad ventriculum. Atque hæc omnia nobis indicauit, præcognita concoctionis ratio. Quum enim temperiem huiusmodi quæ ex quatuor constat elementis, & quæ corporis ventriculi proprietatem constituit, sciuerimus esse causam alterationis ciborum, quodq; ad hãc rem non mediocriter confert calidum elementum, facilè nobis via ostendetur, qua cruditatis quoque causas inueniamus. Atqui nõ solum per cruditates, verum etiam in reliquis omnibus tria symptomatum genera deprehenduntur: vnum veluti abolitio, vel priuatio actionis est, vel quomodolibet nominare voluerimus: alterum defectus, vel imperfectio actionis: tertium, quum praua & erronea fit actio. Iam ventriculus (vt nuper dicebamus) a-

** τροφῆς, id est alimento.*

† τὰ ἐσθιόμενά τε καὶ πινόμενα. id est, comesta & bibita.

ctio

ctione priuatus dicitur, quũ ne minimum quidẽ cibos alterat: imperfectè concoquit per bradypepsias, id est tardas concoctiones: deprauata verò & erronea actio vocatur, vbi cibos corrumpit. Porrò in venis actionis priuatio deprehenditur, vbi humores omnino crudi relinquuntur: eiusdẽ verò defectio, quum semiconcocti sunt: sed deprauata actio fit, vbi vitiosi euaserint. Haud aliter in vniuerso animantis habitu, veluti priuatio actionis dicetur, si ibidem crudi constiterint humores: defectio, vbi semicocti: prauitas, quum fuerint vitiati. Ex huiusmodi vitiatis succis generantur erysipellata, cancri, gangrænæ, phagedænæ, carbones, herpetes, atque alij id genus morbi. (In nutriendi autem actione priuatio quidem actionis est atrophia: deficiens verò nutritio, gracilitas: at vitiosa, in leucis, & in affectu elephantiasi appellato cõsistit.) Atq; omniũ horum symptomatum causæ, non diuersi generis sunt à prioribus, quas de ventriculo diximus. Etenim aliæ ad potentiæ imbecillitatem, aliæ ad errorem qui circa cibos committitur: aliæ ad studia, & ea quæ extrinsecus animanti accidunt referuntur. Ad eundẽ quoq; modum potẽtiæ imbecillitates: quę quidẽ proprię sunt

(Ista non vertit interpres quæ nos ex græ. restituimus: non fuisse autem omittenda videbis in nostris annotationibus.

sim

ſimilarium intemperiem: quæ verò non propriæ inſtrumentales ſequuntur morbos. Errores autem qui circa cibos committuntur, in multitudinem & ſuccorum qualitatem diuiduntur. Quemadmodum & ſtudia, & ea quę extrinſecus occurrunt, ad ordinem præpoſterum & intempeſtiuam, vt opinor, aſſumptionem pertinere videntur. Atqui ſtudia voco equitationem, piſcationẽ, venerea, balneas, deãbulationes, nauigationes, venationes, atque vt ſimpliciter dicam, quicquid corporis ſeruitio gerimus. Iam non ſatis fuerit medicum ſola ſymptomata ipſorumq; generationẽ inuenire: verùm generationis quoque modum, vt varium inter effectrices cauſas ordinem obtineant, ſcire neceſſe eſt. Neque enim ſolùm id noſſe conuenit, num ventriculus nihil omnino concoxerit: ſed quam ob rem ita euenerit ſciẽdum eſt, an ob vehementem coctricis potentiæ imbecillitatem, an ob immodicam multitudinem, an ob prauam aliquam ciborum qualitatem. Quippe ſi ciborum cauſa ſymptoma acciderit, facilè corrigitur; ſi verò ob extremum potẽtiæ caſum in lienteriam, id eſt inteſtinorum læuitatem, aut in aquam intercutem, quam tympaniã vocant, permutabitur. Haud aliter
de

de venis quoque dicendum est: non solum enim num sanguifica vis à scopo deciderit verumetiam quã ob causam deciderit, inquirendum est: vtrum ob sanguificæ potentiæ imbecillitatẽ (nec enim ineptè ita vocabitur) an ob multos, frigidos, eosdẽ-que crudos humores, quos ventriculus venis reddidit, siquidem hoc facilè sanari potest: illud in aquam intercutem transit. Similiter in corporis habitu inquirendum est: Quippe ob crudos humores afficiuntur, qui recèns è morbis conualescunt, & ex immodica ciborum copia replentur, vnde & flatu pleni & veluti aqua turgidi toto corporis habitu euadunt. Quibus verò ob potentiæ imbecillitatem id euenerit, ij in eam speciem aquæ intercutis incidere solent, quam anasarca vocant. Cæterum omnis intemperies, si vehemens fuerit, vires deijcit: quòd si frigus vicerit, frigidos affectus efficiet: cõtrà, si calor. Itidẽ in reliquarum duarum qualitatũ oppositione & cõiugatione considerare oportet. Porrò omnia quæ iam dicta sunt, vna in re cõmunicant: nẽpe quòd maximè ab eo quod secundum naturam est, aberrant. Nam si ventriculus in cibos quos cõsueuerit quis accipere, & qui modũ nõ excedant; omnino nihil agere videatur, maxima ipsum in

temperie affici, conijciendum eſt, at ſi propter immodicũ calorẽ id accidat illico cibi corrumpentur, ac communiter quidem corruptela nidorem refert, priuatim verò quilibet cibus id nidoris genus reddit, quod naturæ ſuæ proprium eſt. Sunt enim cibi, qui poſteaquã corrupti ſunt, virulentiam, aut cœni fœtorem reddunt, nõ nulli piſciũ crudorum, aut alterius abſurdæ, explicatuq; difficilis putredinis, nidorem referunt. Nullus enim cibus, ſi immodicè fuerit calfact', ſine putredine permanere poteſt: qui ſic affecti ſunt, ſiti cruciãtur, atq; interdum paruis, tenuibus, ac hecticis febribus corripiuntur. Si ob frigoris vehementem intemperiem cibus omnino crudus permanſerit: ita affecti neque ſitiunt, neque febricitant, atque ciborum ipſorum qualitatem exactè percipiunt, ſiue ad ructum, ſiue ad vómitionem prouocentur: quòd ſi leue aliquod coctionis veſtigiũ cibis imprimatur, fueritq; ciborum natura, aut modicè temperata, aut frigidior, acidi ructus excitabũtur: ſi verò calidiori fuerint intẽperie, aut ſuapte natura flatũ excitare poſsint, vapore ſpirituq; vẽtriculum implent. Atq; in huiuſmodi intemperies facilè labitur ventriculus. Verùm ad tãtam vel ſiccitatis, vel humidita-

tis intemperiem, vt actio eius aboleatur, ventriculus, nisi in multo tempore, perue nire nõ potest: quippe oportet vt aqua in tercus, humiditatẽ, senect' verò, aut tabes siccitatẽ præcedat. Sed huiusmodi differẽ tiarũ explicatio alterius fuerit negocij.

Persequitur hoc cap. Gal. causas symptoma tũ facultatis retẽtricis, attractricis, distribu tionis alimẽti in corpus & nutricatiõis abo lita, debilis aut deprauata, docẽs interea mor bos et symptomata facultatis expultricis et re tentricis misceri, clysteres aliquando eu mi, causas triplices expulsionis excremẽtorũ, tria excrementorum genera concoctionis in venis, singula excrementa sequi propria symptoma ta, alitum ab alimento mutari: deinde causas symptomatum quærit, quæ in excrementorũ qualitate aut quãtitate accidũt, qualia sunt hæmorrhagia, fluxiões, vomit', deiectio alui, flatus in ventriculo geniti, eorũ strepitus, flu xiones in ventriculũ è superioribus partibus, hepaticæ affectiones, cruẽta excrementa, vri næ suppressio vel expulsio præter naturã, car nis & sanguinis eliquatio & sudores. Horũ omnium causas inquiri diligentissimè singu la idoneis exemplis confirmans.

CAP. II.

IAm ad retentricem potentiam veniẽ dum est. Nã & in hac triplex occurrit

prima symptomatum differentia, si omnino non cóprehendat, si debiliter, si deprauatè. Igitur quum vel nihil penitus, aut debiliter retinet, & inflationes & fluctuationes sequũtur, inflationes quidem, vbi alimenta suapte natura, vt flatũ pariãt, sunt idonea, ac vẽtriculus nõ ita multo frigore affectus est: fluctuatiões verò quũ nihil in ipso continetur ex quo flatus excitari possit, aut ipse nimio frigore laborat: nam huiusmodi affectus nullum vaporem suscitare solet. Porro manifestum est fluctuationem non sine potione in ventriculo prouenire. Vltimę vero imbecillitatis ei' causa, morbus est: atque alius quidẽ veluti similaris partis ventriculi morbus, alius veluti instrumẽti. De motibus autem in ipso deprauatis, vtpote quũ vel tremit, vel palpitat, vel quodammodo cócutitur, vel cóuellitur, in libro de symptomatum differentia iam dictũ est. Porro cuiusmodi sit vnaquæque dictarum motionum, quæve sit vniuscuiusque ipsarum causa, proximo libro ostensum est: atqui in pręsentia hoc adijciendum videtur, nempe quod miscẽtur & morbi, & symptomata, tũ retẽtricis tũ expultricis facultatis, vt in ea ventriculi cõmotione, quę veluti cõuulsio eius est, ac illi per singultũ accidit. Neq; enim absolu-

soluta conuulsio est: hęc enim solis muscu lis inesse solet: atqui neque vētriculus ipse, neque ipsius hostiolum musculus esse censebitur. Porro vtrisque potentiis commune quoddam symptoma veluti conuulsio quædam attribuitur: retentrici quidem, quod ventriculus per singultum prauè & non secundum naturam cibos amplectitur: expultrici verò, quod præcipuè ad eā pertinet deprauatus ille motus, dū ea quæ molesta sunt expellere conatur. Iam vero & vomentibus, & ijs qui singultu vexantur, vt nō idem est motus, ita nec affectus idem. Nam per vomitiones, ea quæ in spatio continentur, eijciuntur: per singultum vero, ea quæ ventriculi corpus imbuerunt: haud dissimili tum affectu, tum motu, qualem fieri ostendimus iis qui ob intemperiem tussi molestātur, quum omnes vētriculi partes, id quod cruciat exprimere tentant: hanc ob causam quibus ventricul' obriguit, ij huiusmodi symptoma experiuntur. Itidem qui piper affatim deuorant: aut calidum aliquod pharmacum deinde calidam potionem superbibunt: atque, eo magis mouebit singultum piper, quo fuerit in tenuiores partes contritum, ita enim facilius ventriculi corpus subingredietur. Sic de reliquis quoq; omni

bus intelligendum est: quippe siue calida sint, siue frigida, si in ventriculi corpus penetrant, singultum excitabunt: qui primũ quidem expultricis potentiæ motus quidem est, deinde retentricis quoque, quam amplexatricem etiã vocare licebit. Similiter nausea quoque expultricis facultatis deprauatus motus est, quo per gulam celerrimè vacuetur id quod † vẽtriculo) noxium est, Atque in hoc symptomatum genere haud absurdè numeratur liẽteria, id est intestinorum læuitas, vbi ventriculus à re quapiam vel mordaci, vel grauante, sic irritatur, vt eam expellere cupiat. Etenim quum duo sint ventriculo hostiola, vnum ad gulam superius, alteriũ inferius ad pylorõ, id est ianitorem: ad quodlibet horum deriuetur id quod infestat, illo ad expulsionem vtetur. Quòd si vtriusq; eiusmodi affectus superuenerit, vtrunq; simul hostium ad hunc vsum accommodabit: vt in eo affectu quem coleram vocant, videre est. Superest quartum potentiæ genus, quam attractricem vocant, quę etiam triplici symptomatum genere corripi potest: quippe vel omnino nequit trahere cibos, vocaturq́; huiusmodi symptoma, gulæ paralysis, id est resolutio: vel difficulter trahit, quum videlicet iam incipit quidem

resol

† στόμαχης γαστρός, id est ori ipsius ventriculi est in anti. codi. non σῶμα, id est corpori, vt in impres.

resolui gula, sed nondum resoluta est: tertium ab his genus est, quum deprauata sit attractio: verũ de motione deprauata iam sæpe diximus, quemadmodũ & de affectibus à quibus oritur. Porrò solet nonnunquam superuenire carneum tuberculum, quale in externis quoque partibus videre est, quod ita gulam occupat, vt interim totam ciborum viã, interim partem aliquã eius obstruat: vocanturq; huiusmodi affectus, morbi instrumẽtorum, de quibus in libro de morborum differentia iam diximus. Quum enim secundum naturã se habuerit ventriculus, è supernis partibus ad sese trahit, atq; per inferiores deijcit: quũ verò pręter naturam affectus est, etiam ab infernis aliquid assumit: quippe nonnullis clysteres adeò ascenderunt, vt vomitione reijcerentur: quemadmodũ & stercus, per lethales voluulos. Atqui satius fuerit per huiusmodi affectus, vt dicamus ventriculũ non trahere, sed suscipere duntaxat ea quæ ob intestinorum cõpressionem violenter sursum feruntur. Nam quod intestina, etenim de his aliquid dicere operæprecium fuerit, constringuntur, id ipsis secundum naturã conuenit, id quod in alijs libris iam diximus: atq; cõstrictionis auxilio adiuta, cibũ ad ĩfernas partes deijciũt:

verùm per affectus quoſdam, quum conſtringi inceperint, ea quæ in ipſis continẽtur, ab infernis ad ſuperiora feruntur. Ita ſolet euenire nonnullis, quibus non licet vẽtris onera deponere, quia verſantur vel in foro, vel in alio loco, vel negotio: vt humor quiſpiam acris ad ſedẽ vſq; deſcendat, ibiq; violenter retentus, rurſus ad ſupernas partes referatur, atq; tum & vẽtriculum rodat & caput vaporibus impleat. Incipit enim motum † à podice, animalis potentiæ inſtrumento: deinde quodlibet inteſtinorum ipſum à ſe expellit ad proximum, quod loco ſuperiori cõſtitutum ſit: haud aliter quàm antea, quum deorſum trudebatur. Atque ad hũc modum flatus interdum retentus recurrit. Itaq; non mirum videri debet, ſi per tam violentas inteſtinorum conſtrictiones, aliquãdo tum clyſter, tum ſtercus, ad ventriculum præter naturam referatur, atque ſic † vomitionis impetum excitet. Porrò alij ipſorum motus, ſub genere eorum quę ſecundum naturam ſunt continentur: qui ſi vel debiles, vel deprauati fuerint, inter ſymptomata numerari debent: atque proportiõe ad eos motus, quos de ventriculo diximus, referendi ſunt. Ita etiam vbi inteſtina motu priuantur, non mediocre ſymptoma

fu-

† à muſculo ſphinctere appellato.

† Πρὸς ἔκκρισιν *eſt in impreſ. Sed in anti.* πρὸς ἔμετον *quos eſt ſecutus interpres.*

fuerit; atque hanc ob causam fit nonnunquam voluulus. Itidem & tumores preter naturam obstant aliquando, vt vel nihil omnino excrementorum deorsum ferri queat, vel non satis copiosè deiiciātur. Est vbi induratum stercus, in quorundam intestinorum reuolutionibus infixū, prohibet quò minus superiora excremēta deorsum labantur. Cæterùm hoc loco obseruandum est, vt omnia symptomata intestinorum ad ea quæ de ventriculo dicta sunt proportione referantur: siue per intē periem, siue ob tumorem aliquem præter naturam, siue per ea quę cōtinētur in ipsis excremēta, eueniant. Iā ne temporis iactu ram faciamus, satius fuerit, vt vitata prolixitate, ad aliud symptomatū genus nostra conuertatur oratio. Igitur alimenti per corpus digestio (Græci anadosin vocāt) inter naturalia opera numerat, quū ex ventriculo in iecur, atq; ex hoc in vniuersum corpus, alimentū digeritur: atque iam ostendimus eam perfici, quum quælibet partium peculiarē sibi cibum allicit. Porrò huic actioni tria symptomata genera accidere solent: nā vel imbecilla, vel deprauata est, vel omnino cessat, ac causarum, quemadmodum suprà diximus, triplex distinctio est: nempe aut trahentium

partium intemperies, aut earũ instrumentales morbi, aut alimenti quod distribuitur prauitas. Per intemperies, facultas redditur imbecilla. Instrumentorũ verò morbi, ciborum meatus astringunt. Prauitas autem dicetur, si vel crassior est cibus, vel viscosior. Verum quibus notis hæc dignoscantur, ostẽdere in pręsentia fortasse fuerit intempestiuum. Igitur de excrementorum expulsione sermonem aggrediamur: atq; in hac triplices etiã inueniuntur causæ, vna quum partes, quę excrementa expurgãt, sunt imbecillæ: altera viarum angustia, postrema est excrementi malitia. Imbecillitatem intemperies parit: angustiam verò, vel obturatio, vel aliquis instrumentorum tumor. Atqui tumorum causa est humorum fluxio, quum in ipsa instrumentorũ corpora effunduntur. Obturationem facit humorum, vel crassitudo, vel viscositas, † vel innatum aliquod tuberculum. * Excrementorum malitia oritur tum à multitudine, tum à crassitudine, tũ etiam à viscositate.) Cæterum per concoctionem in venis factam, tria quoque redundant excrementorum genera. Vnum quidem bilis amara. Alterum altera bilis. Tertiũ veluti serum, amaram bilem vesica iocineri adiacens expurgat:

† ἢ βλαστήματα.

*In græ. est τῶν περιττωμάτων δ' αὐτῶν ἡ μοχθηρία, πλῆθός ἐστι καὶ πάχος καὶ γλισχρότης. i. excrementorum autẽ vitiũ seu malitia, est multitudo, & crassities, & viscositas.

P

gat : atram bilem lien ad se allicit : serosum renes trahũt. Porrò & in his quicquid vitiosè expurgatur, id vel ob instrumenti proprij imbecillitatẽ, vel ob viarũ angustiam, sic expurgari putandum est, quum viarum autem duo sint genera, vnum per quod trahitur excrementum, alterum per quod expellitur, vtriuslibet angustia excretionem lædere potest, nonnunquam etiã horum nullum est læsum : sed excrementi multitudo, quum immodica est, vt tota expurgari non posit, vnà cum sanguine per vniuersum corpus defertur. Huius verò immoderationis, duplex affertur causa: nempe alteratrix potentia malè affecta, & alimentorum prauitas potentia læditur ob partium intemperiem, veluti iam sæpe diximus: quæ verò ex alimentis oritur prauitas, in quolibet excrementorum proprium obtinet modum : quippe alia suapte natura ad atram bilem magis declinant, alia ad aquositates, alia ad bilem amaram : quemadmodum in libris quos de ipsis edidimus, iam dictum est. Igitur intemperies, quæ alteratricis facultatis imbecillitatem peperit, calidior quidem quã oportet: interdum biliosum, interdũ melancholicũ excrementum efficit (atqui cuiusmodi sint hæc excrementa, in alijs

aliis libris ostensum est) frigidior verò pituitam, & aquosum excrementum parit. Neq; vllum est excrementum, quod nō sequatur propria symptomatū species, pallida bilis, si per vniuersum corporis habitum redundat, regiū morbū, græci ἴκτερον vocant: si verò in vna duntaxat parte, erysipelata, & herpetes excitat. Atram bilem, si in vniuerso fuerit corpore, elephas: si in vna aliqua parte, cancer sequitur. Pituitam, si per vniuersum corpus increuerit, ea species aquæ intercutis, quam leucophlegmatian vocant, comitatur. In vna verò parte, œdema: ita enim appellant tumorem laxum ac doloris expertem. Serosa excrementa si redundant, aquam intercutem, quam asciten nominant, generare solent: quæ si in vnam aliquam partem incubuerint, in ea phlyctænas, id est pustulas, excitant: ita accidere videmus, vbi singula excrementa syncera redundauerint: vbi vero vel inter sese, vel cum sanguine fuerint permixta, multas tum symptomatum, tum morborum species inducūt, de quibus nō opus est hic longiorem producere sermonem: sed reuertamur ad ea, quę suprà proposuimus. Nutricatio, vt naturalium actionū prima est, ita ferè perquā necessaria est, quippe quæ alteratricis fa-

cultatis species cēsetur. Si qdē & cōcoctio, quæ in ventriculo fit, alteratio est: itidem ea quæ in venis, pariter & ea quæ in quali bet parte: quibus quarta alterationis species annumeratur, quæ assimilatio vocatur: quæ licet nomen diuersum à nutricatione sortita sit, idem tamen est vtriusq; opus. Porro nutricatio aberrat à scopo, si vel omnino nihil agit, vel à perfecta actio ne deficit, vel vitiose agit: idq; ob altricē facultatem, quæ sub alterationis genere continetur: vel ob materiæ, tum defectū, tum prauitatem, ob defectum quidem in atrophijs: siue hæ ex defectu siue ex priua tione dicantur. Deprauatus vero cibus facit elephantem, leucas, id est vitiligines, atque alios huiusmodi morbos. Nam vbi carni nutrimentum agglutinatur, si pituita refertus sit sanguis, accidit vt caro quoque magis pituitosa efficiatur: neq; enim idem est, carnem esse, & carnē phlegmaticam esse. Neq; etiā idem est carnem esse, & melancholicam carnem esse. Neq; hercle vel biliosam, vel temperatam vel intēperatam, in primis, quas vocāt, qualitatibus: vel humidiorem, vel sicciorē, vel calidiorem, vel frigidiorem. Facile vero credes ea quæ diximus, si animalium carnem consideraueris, tum eorum quæ sanguine

Hic autē defectus in atrophijs non propriè ad cibum qui ingeritur, sed ad materiam in mēbro nutritioni paratā referēdus est.

præ

prædita sunt, tum eorum quæ illo carēt: præterea & reptiliū qui in vere gigni conspiciuntur, eorum maximè, qui viridium herbarum imitantur colorē. Atqui horū caro herbis est similis: *reliqui albam habent carnem, & sanguinis expertem, veluti scarabeus, & polypus): atq; aliorum aliter caro affecta est: sed horum differētias ob infinitam multitudinē nominare nemo potest. Quum igitur, vt dicebamus, pituitoso viscosoque sanguine diutius alitur, caro quidē manet, sed mutatur eius differentia, & in aliam speciem conuertitur, & media caro fit, inter eam quæ sanguine prædita est, & eam quæ sanguine caret. Atq; quū sic fuerit affecta, accidit, vt ne tentet quidem postea affluens sibi alimētū in rubentis carnis speciem transmutare, haud aliter quàm polypis, † scarabeisq; accidit. Hac occasione quàm celerrimè ipsa tota & alba, & pituitosa euadit: quando & ipsa cibum in ruborē posthac transmutare non potest, & id quod ei influit, pituitosum est. Qualis em̄ protinus ab initio & *scarabeorū & testaceorū ferè omnium caro est: talē ex transmutatione acquirunt ij, qui leuce, id est vitiligine, infestantur: ita enim huiusmodi affectum in carne appellare solent, à colore nomen insti-

*Ita erat vertēdum ex græco. aliorū alba & exāguis: vt locusta, & polypi. quodenim lati. scarabeus marinus appellatur, græcis est non κάραβος, sed κάνθαρος, eodē nomine cū scarabeo terrestri insecto animali.

* Καράβοις.

* Καράβων. i. locustarum.

instituentes. At vbi caro nigra ac pallida fuerit, elephas nominatur, ab animali elephanto mutuato nomine. Nec aliter hic affectus generari solet quàm leuce, quum longo tempore cibus melancholicus ad carnem fluxerit. Iam alphi haud diuersum à prædictis habent generationis modum: verùm per hos non tota caro afficitur, sed corporis duntaxat superficies, veluti squamis quibusdam inspergitur: atque albi quidem ex pituita, nigri vero ex melancholico humore prodeunt. Ceterũ quanta sit alimentorum vis & quàm vehementer carnem permutare possint, Aristoteli quoq; dictum est, vbi meminit terrarum, ad quas deducta pecora, immutari conspiciuntur, tum in colore, tum in alijs quibusdam, quæ ne sensum quidem fugiunt, differentijs. Qui verò negant alitum ab alimento mutari posse, quod victi, non vincentis, alimentum sit nomen: ij neque de animantium neque de plantarum transmutatione, quicquam sanum dicere possunt, hallucinarique circa res ipsas quæ nemini non manifestissimè apparent. Etenim quæ de Persica planta in Ægyptum translata narrantur, nemo ignorat. † quæ in Persia planè lethalis erat, in Aegyptum verò translata quod inerat noxi

† Hæc habentur in græ. codi. impres. li-

eet in aliquibus manuscriptis desiderentur.

noxiũ amisit.] Similiter (vt opinor) & de vitibus quæ apud nos natæ sunt, si in alienam deferantur terram, vinum longè diuersum reddunt: itidem de reliquis quoq; plantis rusticæ rei scriptores ostenderunt: quemadmodum & de herbis ij, qui herbariam posteris tradiderũt: quippe quum ex suis terris in alienas deferuntur, etiam minori quàm duorum stadiorum interuallo non paucis alterationis differẽtijs immutantur. Proinde nõ satis erat quòd scirẽt, ac dicerent alimentum nomẽ esse rei, quæ vincitur, alteratur, & mutatur. Sed distinguere debuerũt, quo pacto vitiligo, idest leuce generetur: etenim huiusmodi affectus causa est, vel caro quæ alitur, vel alimenti ipsius prauitas: quod si (vt ipsi volunt) alimentum non est, necessariò dicẽdum erit, quod sit caro: quid igitur † obstat quominus sibi alimentum omnino assimilet? ita enim quod natura huius affectionis causa sit dicere oporteret. Igitur longè melius fuerit, vt dicamus alimẽtũ esse causam: at licet eius quod alitur, munus sit, alimentum sibi reddere simile, alimenti vero pathos vt immutetur, alitoq; simile efficiatur: non dixeris tamen id quod afficitur, agenti vel minimam quandã talionem non posse referre. Hoc enim quàm lon

† Πάσχουσα. ipsa patitur.

longè à veritate recedat, iam diximus, quũ huiuſmodi argumẽtum tractaremus. Neque nos ſolùm ita ſentimus, verùm etiam philoſophorum qui naturæ tum functiones, tum affectus enarrauerunt grauiſsimi: vnde cõſtat rem omnem (etiam ſi fuerit multò potẽtior) affici ab illa cum qua verſatur, idq́; ſenſu haud obſcurè percipiẽte: quod etſi ad primam applicationem latet, temporis tamen progreſſu facilè apparebit. Ita gladius, licet ad ſecãdum ſit efficaciſsimus, vbi carnes vel molliſsimas ſecat, obtuſior redditur: ac duriſsimum lapidem aquæ gutta, ſi diutius in eum deſtillauerit, excauare poteſt. † Iã quid de iis quæ inter ſeſe miſcentur dicendum ſit,) nemo neſcit: quippe ſi in aquæ feruentis amphoram, gelidæ aquæ heminam effuderis, id quod ex vtriſq; mixtũ eſt, non ſolũ heminã victã eſſe declarat, ſed etiã quòd vincẽs quoque patiatur. Rurſus ſi in frigidæ amphoram, feruentis aquæ heminam effundas, ſuccumbet quidem hemina, at afficietur interea (licet non ita multùm) amphora. Verum, vt iam antea diximus, non eſt inſtituti noſtri in hoc opere, neque contẽdere, neq; ſermonem protrahere: ſed quoad eius fieri poteſt, quàm celerrimè docere. Igitur leuce, id eſt vitiligo, maximus al

† *In anti. legitur,* τί δὴ γίγνεται περὶ τῶν κεραννυμένων. *id eſt iam quid fiat in his quæ inter ſeſe miſcẽtur: non* τί δεῖ λέγειν ὅτι, *vt eſt in impreſ.*

teratricis facultatis est error. Sũt alij quoque multi paruiq́ue errores, quum vel per humiditatem, vel siccitatem, vel calorem, vel frigus, caro immutatur. Sed non solũ ob alteratricis facultatis imbecillitatem, pars aliqua priuatur alimento: verumetiã vbi attrahendi vis fuerit imbecillior, aut expultrix immodicè mouerit. Atqui tum immodicè mouet expellendi vis (vt & antea diximus) quum retentrix potẽtia grauatur, aut ob excrementorum vel multitudinem, vel acrimoniam, aut ob propriã imbecillitatem: tunc enim necesse est, vt cum eo quod redundat, simul etiam quod vtile est, excernatur, vt in lienteria, dysenteria, choleraq́; fieri solet. Quòd si expellendi facultas fuerit imbecilla: necesse est carnem tum humidiorem fieri, tum pluribus excremẽtis impleri. Atqui multorum excrementorum redundantia, ob alteratricis facultatis imbecillitatẽ accidit. Itaque si simul vtranque potẽtiam à sua functione aberrare contigerit, vt attrahendi vis multum alliciat succum, non possit autem alteratrix quicquid attractum est cõficere: tum multa redundare excrementa, ac expultricem vim hoc tempore minus probe imbecilliusq́; suo munere fungi, & hanc ob rem complura in carne excremẽ-

ta consistere, necesse est, ita sit vt pro excrementorum tum specie, tum quantitate aliàs aliter caro immutetur, vt interim œdematis, id est mollis tumoris, interim inflationis, nõnunquam aquæ intercutis referat speciem: atq; hoc genere continetur illa aquæ intercutis species, quē anasarca nominãt. Verum nõ est nobis immorãdũ (vt opinor) in ijs, quippe qui non omnia symptomata particulatim explicare decreuimus: satis enim videtur ea quæ ad studiosorum exercitationem cõducere possunt proposuisse. Igitur haud importunũ fuerit ad aliud symptomatũ genus transire, quod non longè abest ab ijs quæ in actionis noxa consistunt. Hoc genus, in excrementorum tum quantitate, tum qualitate conspicitur: siue potentiæ noxa aduéniat siue intempestiuè irritetur, siue à prauo motu potentia excitetur, aut instrumentum aliquod hianti ore pateat, aut rumpatur, aut erodatur: id quod in sanguinis excretione videre est: satius enim fortasse fuerit ab hac initium sumere, quippe quæ fere semper ex genere videtur esse præter naturam. Nam excepto eo sanguinis fluore, qui mulieribus ab vtero defluit: reliquæ omnes sanguinis expulsiones toto genere præter naturam esse censentur.

dum excesserit. Horum omnium causa tri fariam distinguitur, quippe vel facultas ora vasorum aperit, vt in sanguinis fluore è naribus videre est: vel sanguis ipse malè affectus est, aut vasorum aliquod male affectum. Sanguinem male affectum dico, vel quum adeò vitiosus est (Græci cacochymon vocant) vt vasa quibus continetur erodat: vel adeò est auctus, vt à vasis contineri non posit, atq; hic vt vas ipsum rumpere potest, ita vasorũ ora aperire potest. At vasa male affecta dicuntur, si vel molliora vel duriora, vel tenuiora fuerint. Id quod nonnullis à natura cõtingit, quorum figmentum statim in vtero vitiatur: quanquam etiam molliora à redundante humiditate, duriora ab ariditate, tenuiora ex partis illius abolita nutritione, nonnũquam proueniunt. Quod immodicè molle est, facile rumpitur ob imbecillitatem: at valde durum, quia haud facile multum extenditur: tenue ob venarum vtrasq; huiusmodi affectiones, non solum ab internis causis, verum etiam ab externis rumpi facile potest. Verum non omnia (vasa) similiter erodi possunt. Nam durum crassumq́;, erodi contumax. Ita de hiatu quoq; que dicendum est; nam vasa imbecilla, mollia, & tenuia, prona sunt vt ora ipsorũ

(Non est in gra.

pateãt:robusta verò, & crassa, & dura, sunt ad hiatum inepta. Accidit autem † hiatus ab his quæ vasorum ora irritant, & à plenitudine grauante: nonnunquam natura, quum excernit ea quæ sibi molesta sunt. Sunt qui iam dictis quartum genus addant, ipsumq́ue διαπήδησιν, id est saltum sanguinis, vocant: sed non ita res se habet, quippe haud quaquã quartum genus est, sed vel ob exiguarum venarũ hiatum fit, vel ad genus cruentæ excretionis reduci nõ debet: quippe seri speciem refert, quale per iocineris renumq́ue imbecillitatem subinde euenire solet: vt vel cum vrina vel cum alui excrementis, serum cruentũ eiiciatur: sed de iis postea dicemus. In præsentia de iis quæ vomitione reiiciuntur, dicendum est. Excernuntur igitur & hæc nonnunquam vt nimia & ventriculum grauantia, sicuti aliquando nutrimenti copia nonnunquam etiã vt molestantia & mordentia, quẽadmodũ quũ assumptũ nutrimẽtũ, vel acidũ, vel nidorosum vel amarũ & acre ex defectu concoctionis euaserit. Eodem genere continentur, & biliosa, & pituitosa, & serosa excremẽta, tũ inibi nata, tum ex vniuerso animantis habitu in ipsum deriuata. Est præterea tertium causarũ genus, quibus ventriculus ad vomendi

† ἀναστόμωσις.

di

fuerit; atque hanc ob causam fit nonnunquam voluulus. Itidem & tumores prӕter naturam obstant aliquando, vt vel nihil omnino excrementorum deorsum ferri queat, vel non satis copiosè deiiciãtur. Est vbi induratum stercus, in quorundam intestinorum reuolutionibus infixũ, prohibet quò minus superiora excremẽta deorsum labantur. Cæterùm hoc loco obseruandum est, vt omnia symptomata intestinorum ad ea quæ de ventriculo dicta sunt proportione referantur: siue per intẽperiem, siue ob tumorem aliquem præter naturam, siue per ea quę cõtinẽtur in ipsis excremẽta, eueniant. Iã ne temporis iacturam faciamus, satius fuerit, vt vitata prolixitate, ad aliud symptomatũ genus nostra conuertatur oratio. Igitur alimenti per corpus digestio (Græci anadosin vocãt) inter naturalia opera numerat̃, quũ ex ventriculo in iecur, atq; ex hoc in vniuersum corpus, alimentũ digeritur: atque iam ostendimus eam perfici, quum quælibet partium peculiarẽ sibi cibum allicit. Porrò huic actioni tria symptomata genera accidere solent: nã vel imbecilla, vel deprauata est, vel omnino cessat, ac causarum, quemadmodum suprà diximus, triplex distinctio est: nempe aut trahentium

midiora, tum viſcoſiora ingeſta, velocem deiectionē efficiunt: quæ tum celerius delabuntur, quum leuiter poſt eorum aſſumptionem ambulaueris, vt cõcutiãtur quidem, ſed non ante tempus per corpus digerantur, id quod per concuſsiones interdum accidere videtur. At quoniam cõplures ſunt inteſtinorum circumuolutiones, neceſſe eſt vt alimenta per ſingulas, ex ſuperioribus ad inferiora deferantur. Inde autem eo quòd grauia ſunt, vltra aſcendere nequaquam poſſunt, verùm ipſa in circũuolutiõibus impacta, inteſtinorũ ipſorum actione propelluntur: quippe habent inteſtina inſitam vim, qua expellãt ea quę ſibi moleſta ſunt. Atqui humida, viſcoſaq; alimenta facilè permeant, ſiue id ab ipſorum grauitate, corporiſque quaſſatione contingat, ſiue ab inteſtinorum actione protrudantur. Atque de citæ deiectionis cauſis, hæc dixiſſe ſatis fuerit. Tardi' quã pro conſuetudine excernit venter, aut ob inteſtinorum vel imbecillitatem, vel obtuſum ſenſum, aut ob alimentorum tum paucitatem, tum qualitatem. Quippe quę imbecilla ſunt, protrudere non poſſunt: quibus verò ſenſus obtuſus eſt, non facilè percipiunt ea quę ipſis moleſta ſunt: atqui hãc moleſtiam expulſio ſanare ſolet. Iam alim

alimēta pauciora quidem quàm oportet, pauca continent excrementa, proinde nō adeo grauant: crassa vero & acerba, nō vt humida viscosaque facilè labūtur, sed contra lento mouētur per meatus incessu. Neque solùm intestinorum, sed musculorum quoq; abdominis imbecillitas deiectiones retardat, præsertim vbi duriora fuerint excrementa: tum enim non solum musculorum abdominis, verùm eorum quoque qui per thoracem tenduntur, efficaci auxilio opus est. Atqui pauciora quàm ex proportione multitudinis ciborum, redduntur excrementa, vbi plus ex ipsis transit in anadosin, id est, digestionem per corpus. Econtrario plura quàm proportione ingestorum deijciuntur, interdum ob defectum digestionis per corpus, interdum ob excrementa quædam è supernis ad ventris spatium defluxa. Porrò assiduæ excretiones, vel ob imbecillitatem, vel morsum eueniunt. Imbecillitatem instrumentorum ventriculi, vt subinde dictum est, intemperies efficit: At mordent ea quæ in ipsis continentur. Porrò quatuor inueniuntur causæ generationis eorum, quæ sic mordent: vna est medicamentosa quæpiam vis, vel cibis coniuncta, vel seorsum assumpta. Altera est alimento-

rum † corruptela. Insuper excrementa mordacia, quæ ex corpore ad ventriculi partes defluunt. Postremo eiusmodi excrementa in ipso genita, quemadmodum fit in dysenteria nata ab vlcere maligno. Potest & quinta huiusmodi symptomatum causa superaddi, nempe vehemens corporum sensus, siue is à natura, siue ab vlcere procedat. Est alius assiduæ deiectionis modus, ob causæ genus ab omnibus iam dictis discretus: quum musculi extremæ parti, per quam effluunt excrementa, adiacentes, resoluuntur: quippe huiusmodi deiectiones, à volūtatis imperio pendent minimè, proinde & intempestiuæ, & inordinatæ, & assiduæ sunt. Sed satis de excrementis iam dictum est. Reliquum est vt de vaporante spiritu, quem flatum quoque nominant, deinceps dicamus. Nam & is in ventriculi spatijs oriri solet, quum vel humores pituitosi ibi contenti, vel cibi, ab imbecilli calore in vapores resoluuntur. Etenim vt absolutum frigus vaporem haudquaquã excitat [neque enim extenuare, neque conficere, neque dissoluere cibum potest] ita vehemens calor, magna ex parte vincens ea quæ comprehendit, plusquam pro vaporis generatione, cibum extenuat, nisi is

† In Aldi. est αἱ διαφοραὶ. id est differētiæ. quam lectionem sequitur Lina. Vertit enim, ciborum qualitates.

suap

ſuapte natura facile in flatum tranſeat: verùm ſpiritus ita genitus, & turbidus erit, &(vt ita dixerim) nebuloſus: quinetiam paucus, & parum duraturus, vt ad vnum aut alterum ructum ſtatim euaneſcat. Calor autem in cibos agens, ſi parum validus fuerit, vt eos quodammodo diſſoluit, ita non omnino conficit: atque hinc flatus ſiue ſpiritus exoritur. Atque, vt vno verbo abſoluam, quemadmodum in externis rebus videmus, vt frigidiſsima conſtitutio maximè ſpirāte Borea, aërem ſereniorem reddit, ac calidiſsima per æſtatem conſtitutio, ambientem nos aërem purum efficit mediæ verò conſtitutiones, nebulas pariunt; ita in animātibus accidit. Neque enim calor per extremam imbecillitatem, neq; quum vehementes ſunt ei vires : ſed quũ mediũ inter has affectiões obtinet, flatum gignere poteſt. Hic ſi per os reijcitur, ructũ facit. Si verò per inferiorem extremamq́; partem dimittitur, flatum reddit, interim ſtrepentem, interim ſine ſtrepitu. Quum verò per neutrã partium defertur, flatum ſeu inflationem (vt vocant) efficit: ſymptoma nimirũ ventriculi ob imbecillitatem non potentis ſpiritum tum redundantem tum nebuloſum expellere. Atquè inteſtinorum aliàs aliæ partes,
quu

quum huiuſmodi ſpiritus in ipſis & continetur, & mouetur, varios excitant ſtrepitus: qui licet non omnes ſortiti ſint nomina, poſſunt tamen ſic declarari, vt nemo vel mediocris ingenij, non intelligat, & quale, & quantum ſit excremẽtum, & in qua potiſsimum parte circumuoluatur. Quippe ſi acutum tenuemq́ue ſonum reddiderit ſpiritus, per tenue & omnino anguſtum defertur inteſtinum: ipſeq́ue & purior, & magis aëreus eſſe deprehenditur. Quòd ſi ſpiritus inflandi vim habeat, exiguum ſimiliter ſtrepitum excitabit, dum per tenuia inteſtina reuoluitur, ſed non adeò exactè acutum, tenuemq́ue. Atque omnes huiuſmodi ſtrepitus, in ieiuni inteſtini ſpatijs conſiſtere ſolent, eoq́ue minus reſonant, quo magis ad reliqua, inferioraq́ue inteſtina deſcenderint. Porrò ſunt alij bomboſi (vt ita dicam) bombis latiſsimarum tibiarum non abſimiles, quales habere ſolent ij, qui tymbaulæ, id eſt ſiticines, nominantur, quę ob materiam ex qua cõſtant, purum ſonum reddere non poſſunt: & viæ qua ſpiritus tranſit, latitudo ſonum efficit grauiorem. Atqui huiuſmodi flatus in craſsis inteſtinis conſiſtunt, vbi vacua fuerint ab excrementis. Quòd ſi humiditas aliqua

in ipsis contineatur, ab hac quoque prodibit quædam bõbi species, quam † murmurillum vocant: futuram nuncians humidi excrementi deiectionem. Etenim eiusmodi strepitus species, vtrunq; significat: deiectionem quidem, quia à mouente natura fit: humidum vero excrementũ, quia murmurationem habuit comitem. Porro strepitus flatũ foras missum sequẽs, si murmurilli speciem refert, deiectiones ab ipso fore prænuntiat: si vero purus, & vt ita dixerim, resonans, clarusq́; fuerit, alterũ duorum, aut intestinũ esse inane, aut in superiori eius parte excrementa admodum dura cõtineri, significat. Est & alius inter hos medius strepitus (vt ita dicã) bombosus, ab affectione inter iam dictas media ortũ habens. Qui vero veluti stridorem refert (Græci τρυσμὸν aut τρισμὸν dicũt: quippe vtroq; vocabulo vtuntur, alij per υ, alij per ι, priorem syllabam scribẽtes) is ab instrumentorum angustia, & inflante spiritu, atque pauca humiditate procedit. Sed de his quantum præsenti instituto opus est, satis iam dictum est. Proinde, ad ea transeamus quæ à supernis in vẽtriculum confluũt: diximus enim has ob causas tum humidiora, tum plura congeri excrementa. Porro fluxio à supernis partibus in ventriculum

βορβορυγμὸν.

fit

fit subinde, vbi præualida facultas expellit excrementa. Interdum quum adeò imbecilla facultas est, vt ne id quidem quod vtile est, ferre possit. Itaque excernitur id quod redundat, tum in crisibus, tum nonnunquam per bonam valetudinem quemadmodum in mulieribus singulis mensibus fieri videmus: itidem per cruentas dysenterias, Hippocrates accidere dixit iis, quibus membrorũ aliquod mutilatũ est. Atqui videmus id non solum illis, sed aliis quibusdam per definitos circuitus euenire. Quotquot autẽ ita inanitos vidimus, omnes prioris vitæ exercitationẽ, cũ ignauo otio permutauerant: atque hujusmodi excrementum, sola quantitate abalienatum est. Alterum qualitate peccat, & magna ex parte in acutis morbis criticè expellitur: nonnunquam in his quoq; quorum habitus liquescit. Porrò inter hoc †quod omnino inutile, prauumque excrementũ est, & illud vtile, de quo diximus, aliud tertium excrementorum genus medium inuenitur, vt in vẽtriculo, cibus semicoctus. Hoc per hepaticas maximè affectiones excernitur. Nominantur autẽ hepatici, quos ob iocineris imbecillitatẽ morbus infestat, etiã si nulla affuerit phlegmone. Similis enim affectus tũ euenit huic visceri

†Hic mendose additur in Aldi. καὶ, id est &.

sceri, qualis† imbecilli ventriculo accidere solet, quũ appetit quidem cibos, sed*quos cõcupiuit, incoctos relinquẽs, & grauatur, & eos semicoctos intestinis trãsmittit. Ac ventriculus ipse ad vomitũ insurgere potest: iecur verò habet affectum vomitioni proportione respondentem, siquidem alimentum quod per ora vasorum mesaraicorum ad sese cõuellebat, rursus semicoctũ per ea respuit. Est verò huiusmodi excremẽti species, vti maioribus nostris placuit, similis aquæ in qua ablutę fuerũt carnes. At sati' fortasse fuerat nõ ita simpliciter pronũciare: sed vt absolutior euaderet imago & cruẽtę, & nuper mactatę, sermoni superaddere. Quòd si quis hoc excrementũ aquosum sanguinẽ appellauerit, is quoque boni interpretis munere funct' mihi videbitũ. Atq; hoc symptoma semicoctorũ ciborũ vomitioni proportiõe respõdet: alterũ verò humidis vẽtriculi excremẽtis absolutã quidẽ cõcoctionẽ assecutis, sed quò minus per corpus digerantur impeditis, assimilatur: vt enim sub his grauatus ventriculus ad expellendũ excitatur, haud aliter iecur, vbi ex tradito sibi cibo, satis delectatiõis fructusq; perceperit, id quod residuũ est diutius tolerare nequit. Itaq; alimentũ quũ vlterius progredi ob causam aliquam non

† Mendose legitur in codic. Aldi. ἄπονον pro ἄτονον.

** ἀπροσάντητει est in græ. quod Lin. vertit, quos sibi admonet.*

non poſsit, vt ad ventriculum redeat neceſſe eſt. Atque apparet ſanguis tũ excretus, & nigrior, & ſplendidior eo, qui à natura ſua non deflexit, vt videatur ex ſanguine & atra bile cõmixtus. Sanguis enim ſolus per ſe ob refrigerationẽ nigricans, tantum abeſt vt ſplendorem vllum acquirat, vt etiam eum quem ab initio habuit, amittat. Sed atra bilis vel ſanguine ipſo ſplendidior eſt, quemadmodum & mortui maris bitumen, quod iudaicum vocant. Neque enim grumi exemplo, ex refrigerato, ſed ex immodicè aſſato ſanguine fit atra bilis: vnde & lucidum ſplendorem obtinet, † & feruet veluti quidam cinis,) ac frigida quidem eſt, quia terreſtris, ſed caloris non expers, quemadmodum & cinis, & acetum. Porro ſuccus ex ventriculo in iecur delatus, hoc modo afficitur, vbi diu in ipſo manens, digeri per corpus non poteſt. Ac ſunt nonnulli qui hanc excretiõis ſpeciem dyſenteriam nominẽt, quippe ita affecti vellicari ſolent, non aliter quàm dyſenterici, ob flauæ, * ni fallor, bilis acrimoniam, quam dum ſanguis aſſaretur, acquiſiuit. Sed vtatur quiſq; quo libuerit nomine. Iam cruentorum excrementorum qua

† Horum loco hæc adduntur in Græcis cod. quos vidimus. Neque enim ſicuti grumus ex ſanguine refrigerato, ſic & atra bilis generatur: quin etiã prorſus è econtrà, ex immodicè aſſato & incenſo veluti cinis quidã atra bilis efficitur.

** Malè legitur in Aldi. ἅτε αἷμα, pro ἅτε γὰρ οἶμαι.*

tuor

tuor ſunt omnino differentiæ:vna eſt, vbi ſanguis per circuitus quoſdã emanat, vel ob mutilatum membrum, vel ob exercitationem derelictam. Altera quum ob imbecillitatem hepatis aquoſus ſanguis deijcitur, haud abſimilis loturæ carnium. Tertia (quã nuper diximus) ex melancholico ſplendenteque ſanguine cõſtat. Atqui per has tres, quas diximus differentias, & multum eſt excrementum, & affatim excernitur. Per quartam verò paulatim & breuibus interuallis deiectio fieri ſolet, nonnunquam ſynceri ſanguinis, nõnunquam grumoſi, cum quo interdum puris quoq; nõnihil excerni conſpicitur, itidem, & ramenta (Græci ephelcidas vocãt) & partes quædam inteſtinorum membranis ſimiles. Sæpenumero dẽſum quoq; ſtercus excernitur, cruẽtis guttis reſperſum. Igitẽ ob quos affectus tres differentiæ priores eueniant, iam dictum eſt. Quartæ verò, cuius modo meminimus, affectus eſt vlcus inteſtinorũ: atq; hanc ſolam dyſenteriæ vocabulo quidã dignãtur: hoc ideo diximus, quòd multi ſunt, qui neglectis rebus, nimis anxiè circa voculas verſantur, atqui prætereunda cẽſemus nomina. Sed præter iam dicta, eſt aliud dyſenteriæ genus, tenaſmum vocãt, ob recti inteſtini vlcus eueniens. Ac cæte-

ra quidem ſymptomata dyſenteriæ ſimilia habet, tenſionis verò vehementia, dyſenteriã lõgè ſuperat. Vrinæ tũ ſuppreſsiões, tũ deprauatæ expulſiones, excremẽtis, quæ vel in vẽtre retinẽtur; vel præter naturam deijciuntur, proportione reſpondere vidẽtur. Supprimitur quidẽ, vel ob veſicæ imbecillitatẽ, excernere non potentis, vel ob oſtioli ipſius anguſtiã. Ac huiuſmodi ambo veſicæ morbi, vnum commune habent ſymptoma, iſchuriam, id eſt vrinæ ſuppreſſionem, ſiquidem vrina in ipſa detinetur. Eſt & aliud ſymptoma, quum nihil penitus vrinæ in veſicam delabitur abolita nimirum renum actione: atque hoc multi medicorum itidem iſchuriã appellauere, quum reuera non ſit iſchuria. Sed permittamus eis huiuſmodi vti appellatiõe, quũ non habeat aliud proprium peculiareque vocabulum. Verùm affectuum differentiam interim ignorare non oportet. Alius enim affectus cẽſendus eſt, quum oppleta, alius quum vacua nihilque omnino in ſe cõtinente veſica, nõ redditur vrina. Nam in ea affectione qua veſica plena eſt, aut os ipſius anguſtum eſt, aut hoc ſe habente ſecundum naturam, ipſa ob imbecillitatem neque contrahi, neque foras pellere vrinam poteſt. Os itaque ſit anguſtum,

†vel

†vel quia obturatur, vel quia clauditur]. Obturatur aũt vel à grumo, vel crasso pure vel lapide, vel callo, vel tuberculo quod in meatu ipso natum est, cuiusmodi in externis partibus omnibus accidere videm⁹, vt auribus, naribus, pudẽdis, & sede. Clauditur verò aut ob tumorem præter naturã, aut ob multam siccitatẽ. Tumor prodit à phlegmone, schirris, reliquisque tumoribus, qui vesicæ ceruicẽ attollere possunt, adeò vt †in externum quoque meatum molles porrigatur.] Siccitas ab ardẽtissimis maximumque squalorem inducẽtibus febrib⁹ prouenit, in quibus subinde videmus laborantes sic affici, vt ne loqui quidẽ possint, nisi irrigato prius ore. Cęterum haudquaquam opus est, vt inquiram⁹, quas ob causas vesica imbecillior reddatur, quippe quas sæpenumero, quum de multis alijs partibus disputaremus iã diximus, siue illis, vt similaribus, siue vt instrumentis accidant. At vesicam nonnunquam immodicè impleri (id eñ est ei præ cæteris peculiare) & ipsi vidim⁹, & ab alijs audiuimus. Etenim deprehẽsi sũt quidam vesicã oppletam habentes, qui veriti surgere à cœna vt meierẽt, ita meiẽdi functione priuati fuerunt, vt deinceps lotium excernere nequirent, quamuis id

† δ'ι ἐμφράξιν τε ϰ μύσιν.

† *In græc. cod. legitur* εἰς τὸν ἐντὸς πόρον ἀποχεῖ τὸν ὄγκον. *i. in internũ quoq; meatũ moles porrigatur. Linac. antẽ vertit: in internũ meatũ vrinã refundãt. Videtur autem in græ. legisse* οὖρον *pro* ὄγκον.

rim eorum duntaxat ſuccorum, quos venæ continent: deinde quod ita liquatum eſt, modo in vẽtrem, modo cum vrina defluit, nonnunquam in ſudorem tranſmutatur. Itaque venarũ ſuccis in ſeroſam ſaniem reſolutis renes ad ſeſe excremẽtum huiuſmodi trahunt, pręſertim vbi integra valetudine conſtant: tum enim ſerũ à venis expurgant, & continenter veſicæ trãſmittunt fluxionem. Quum verò renes inualidi fuerint, vt trahere nequeant, tũ venæ eiuſmodi ſerum, aut in vẽtrem demittunt, aut vniuerſo corpori ipſum tradentes, derepente habitum ad quam intercutem tranſmutant. Si vero craſsius fuerit id quod eliquatum eſt, nequeant vero renes ipſum trahere, vt in ventrem con flat neceſſe eſt. At vbi caro ſic liquefacta eſt, tum vel venter ſuſcipit fluctionem, ſi craſſum fuerit quod eliquatum eſt, vel ſudores profluent, ſi in vapores reſoluatur. Atq; de eliquatione tum carnis, tum ſanguinis, hęc dixiſſe in pręſentia ſatis fuerit. Reliquorum lotij ſymptomatum, alia quidem veſicæ, aut renum affectus quoſdam oſtendunt, de quibus in aphoriſmis Hippocrates ſcripſit: alia quantum vel cruditatis, vel concoctionis ſanguini acceſſerit, declarãt, atq; de his in prognoſticis tradi-

tum est. Opportunum itaque videtur, vt ad sudores trãseamus: de quibus iam quodammodo dictum est, quòd resoluto interdum habitu eueniãt: ac nominatur hic affectus syncope, cuius rei contrarium per criticos sudores accidit: quippe qui robustas vires annunciant, tantum abest vt dissolutam portendant naturam. Huiusmodi enim sudores corpus purgant, atq; his haud absimiles sũt sudores, quos & modica exercitatio, & balneum, & æstiuus calor euocauit. Atqui per immodicas exercitationes vtilis quoque humoris nonnihil excernitur. Odorem etiam & calorem ex cremento quod expurgatur similem referũt. Multus verò sudor effluit, aut ob corporis raritatem, aut ob excrementi tenuitatem, aut eius abundantiam. E diuerso à cõtrariis causis detinetur, si paucum, si viscidum, si crassum fuerit excrementũ, aut si constipantur meatus. Id verò ipsis accidit, vel quia obturantur, vel quia claudũtur. Obturantur à succis tũ crassis tum viscosis. Clauduntur vero, vel †ob inediam, vel mollitiem. Atq; vt reliquorũ excrementorũ, ita sudoris quoq; tũ suppressio, tũ excretio, ob viriũ in carne imbecillitatẽ euenire solet. Porro tũ vesica, tũ vẽter tolerãt nõnũquã cõtẽta in ipsis excremẽta, adeo

† In græc. est δεῖ εὐ-τροφίαν ἢ ψύξιν, ἢ μαλακότητα, id est ob copiosiorẽ nutritionẽ, vel perfrigerationẽ, vel mollitiem. Lin. autẽ vertit atrophiam, id quod in græ. quos vidimus, habetur εὐτροφίαν. Sed in antiqua versione illius l.co habetur, ob corporis spissitudinem.

adeò facilè vt grauatè ad expulsionem insurgere videãtur. Nonnunquã contrà, ne pauxillo quidem tempore sustinẽt: sed & molestè ferunt, & nihil non reijciunt.

Quæ Vẽtriculo & Vesicæ accidere dicebat, accidũt etiã singulis nostri corporis partibus, vt quibus insint naturales facultates: tamen cum hæ facultates singulæ non sint in eodem temperamento, corporis malè affecti vires nõ semper ex æquo læduntur, vt in actionibus alteratricis facultatis & motus volũtarij videre est. Naturaliũ enim facultatũ qualibet vt vna aliqua elemẽtari qualitate ad actionẽ perficitur, ita ea qualitate a iusto naturali modo aberrante damnũ sentit: id quod hoc cap. Gale. ostendit in ijs facultatibus præsertim, quæ ad nutritionẽ spectãt, idq; nõ solum in pueris sed etiam in iuuenibus & senibus.

CAP. III.

CAeterùm quum hic sermo ad omnes partes communiter pertineat, ipsum ad finẽ vsque seruare & simul persequi voluimus. Etenim mirum incredibileq; videtur, corpore aliquo noxam perpesso, vires ipsius omnes nõ ex æquo lędi: sed alias magis, alias minus, alias haudquaquam. Nemo enim ignorat, nullius partis functionem ipsius essentia manente illæsa, posse impediri. At sæpenumero qualibet

parte actionē aggrediente, aliàs alia functionum læditur, neque enim simili apparatu opus est ad alterationem. atq; ad eas actiones quæ à voluntatis imperio prodeunt. Quippe ad alterationem satis est, vt omnia sibi inuicem proximè accedant, neq; opus est vt locum loco mutēt, † neque ab vllo suscipiantur: neque teneant quidpiã, neq; fulciantur. Per actiones verò ab electione prodeuntes, siue trahendũ, siue detrahendũ, siue impellendũ aliquid fuerit, fieri non potest, vt sine motu secundũ locum fiat actio. Itaq; si corpus adeo fuerit molle, vt & humidum, & fluidum, atq; infirmum sit, ipsum neq; similiter trahere, neq; continere, neq; propellere potest. Nam in omnibus huiusmodi functionibus, necesse est eos qui agunt, & firmos esse & intentos. Humiditas autem, nō prohibet, quominus ea quæ inter se iuncta sunt alterentur, præsertim si cum humiditate calor quoq; cōueniat. Neq; vlla qualitatum agentiũ res vicinas perinde alterare videtur atq; calor. Hinc manifestum est, quod corpus vehementi, tũ calore, tũ humore præditum, quàm celerrimè alterabit, id est & concoquet simul proprium alimentum, & sibi assimilabit. Durũ vero, sed ita durum, vt nec difficile ad flectēdũ sit,

[Margin: καὶ πρακτικὰς ἐνεργείας. i. & practicas functiones.
† οὔτ᾽ ἀντιλαμβάνεσθαί τινος id est neque aliqua apprehendant, videtur interpretandum.]

ſit, firmiter autem innitatur id & trahere vehementer quidlibet, & impellere violẽter & detinere fortiter poterit: neq; enim labaſcit quum tẽditur, vt ea quæ ſunt valde mollia, neq; vllum ſubeſt periculũ ne frangatur immodicè extentum: denique quicquid ſemel cõplectẽdo apprehendit, id retinere poteſt. Quum ſi agere haudquaquam poſsint ea, quæ vel ob duritiem vix flectũtur, vel ob humorem nimis ſunt mollia: vt enim illa ad amplexus ſunt inepta, ita hæc debili anſa innixa, facilè elabi ſinunt ea, quæ comprehenderunt. Igitur *optimè nutriũtur calida & humida corpora: alterant enim quàm celeriter, & alliciunt ad ſeſe alimentum, mox in intimis partibus reponunt, deinde aſsimilant. Peſſimè omnium frigida & ſicca: neq; enim alterare poſſunt, neq; ſuſcipere, neque apponere, neq; aſsimilare. Iam calorem celeriter alterare poſſe, antea dictũ eſt, atque in hac re conſiſtit cõcoquẽdi ratio. Quòd verò humidiſsimũ idemq́; molliſsimum corpus, facilè in ſeſe recipiat id quod alteratum eſt, admonitione potius quàm probatione indiget. Similiter quod durum & ſiccum, nihil permittat ad ſe ingredi, priusquàm & frangatur, ac veluti exulceretur. Itidem quod corpora humidiora

*In anti. legitur τὰ χεῖϛα. i. celerrimè, non κάλλιϛα.

tum facilius, tum celerius & adhęreant, & coalescant: duriorum verò alia haudquaquam, alia non facilè: sic afficiantur, neminem latere puto. Atq; vt æs, ferrum, aurum, & lapides, silētio prætereamus, de plumbo loquamur. Quippe manifestè cōstat plūbum cum plumbo haudquaquam coalescere, nisi prius calfacta fundantur. Itaque pueri alijq; quorum corporis temperamentum & calidius est & humidius, in his quę ad concoctionem, appositionē, adhæsionem, atque nutricationem pertinent, optimè degunt. Etenim & concoctio, & nutricatio, alterationes esse censentur. Appositio fit quum cibus in roris speciem redactus ab alito suscipitur. Adhæsio autem est alimenti cum alito conglutinatio quædam, dum in vnum coalescunt. In his omnibus non mediocrē præbet vsum ad assimilationem ipsius alendi corporis humiditas: quippe quæ constitutionem alimento habeat similem. Digestionis autem per corpus in pueris instrumenta, licet ad obeundas functiones parum sint valida, sunt tamen satis idonea, nihilque ipsis deesse videtur. Nam venæ moderatam fere soliditatem & robur obtinent. At retentrix in ipsis facultas imbecillior deprehenditur, quam ob rem celeri

leriter † excernũt, siue grauet eos aliquid, siue aliam quamlibet perpetiantur molestiam. Porrò expellendi facultas pueris, itidem vt hęc modicè imbecilla est. Quãquam retentrix facultas nõ solùm in pueris, verum etiam reliquis omnibus, expultrice videtur imbecillior, etiam si fuerint æquales, idq́; ob temporis, quo actio perficitur prolixitatem, longiori enim tempore indiget retentrix potentia, quò suo munere fungatur: expultrix vero breuiori tempore actionem suã perficit: quippe quæ vnico impetu id quod molestum videtur, impellere, abiicereq́; potest. Quemadmodum enim in externis rebus videmus hominem vt proiiciat à se onus aliquod, satis fortem, eundem tamen non posse ipsum tota die portare: ita internis quoque instrumentis vsu venit, vt facilius à se propellant id quod molestũ est, quàm multo tẽpore retineant. Igitur pueri (nã de his nobis sermo est) vt alteratricis facultatis robore iuuenes superant: ita in attrahendi facultate sunt ipsis longè inferiores, quamuis ne in hac quidem deficias eos quicquam, quod ad eius muneris functionem desiderari possit. In duabus reliquis facultatibus à iuuenibus vincuntur: quanquam non deprehenditur

† *In antiquo legitur non* ἀποχρίνουσι, *&t in impreßis, sed* ἀπολήγουσιν, *i. ab opere desistunt.*

expul

expultricis imbecillitas, idq; ob temporis breuitatem, quo suo fungitur munere: quippe crebrius, & vomunt, & deijciunt quàm iuuenes, nõ ob expultricis potẽtiæ robur, sed ob retentricis imbecillitatem. Atq; in concoctionibus, quę ad ventriculum pertinent, si humida molliaque sumpserint, ea perinde vt iuuenes concoquere possunt: dura verò deterius conficiunt. Et enim puerorum calor, ad vaporis naturã: iuuenum verò, ad siccitatẽ magis accedit. Atqui humidiora corpora, humidioribus indigent alimẽtis: sicciora sicci oribus. Igitur si concoctio est, alteratio alimenti ad propriam aliti qualitatẽ: consequens est, humidiores molliores q; cibos pueris esse magis peculiares, iuuenibus vero aridiores. Senes ad omnes ferè functiones, corpus malè affectum habent, quippe qui iuuenibus sunt aridiores: præterea frigidi sunt. Igitur neque probè concoquunt, ob caloris penuriam: neq; nutriuntur partim ob siccitatem, partim ob alteratricis facultatis imbecillitatem. Iam digestio per corpus ipsis & † tarda & imbecilla est, nimirũ instrumentis veluti torpentibus ob frigiditatẽ. Deiectiones vero, quæ quidem breuibus interuallis eueniunt, potentiæ imbecillitatem ⁎ non arguunt: quæ vero longi

† *In antiquo est nõ βραδεῖα, sed βραχεῖα id est breuis, &*

longiori ſpatio, malè perficiuntur. Cæterum ad functiones practicas, † durum & calidum inſtrumentũ magis idoneũ eſt: frigidum verò & humidum maximè imbecillum. Reliquæ duæ cõiugationes, inter has mediũ locum obtinẽt. Atq; ſi ætates ſpectes, frigidum ſimul & humidũ corpus haudquaquam deprehẽdes, iam enim dictum eſt, ſenum corpora eſſe frigida & ſicca. Porrò inter prauas tẽperaturas, aliæ ſecundũ naturam propriam alicui conueniunt, aliæ ex acquiſitis prodeunt affectibus: vt exẽpli cauſa, phrenitis morbus eſt calidus & ſiccus, atq; ob hoc ad practicas functiones valentiſsimus. Cõtrà, lethargus imbecillus, quippe qui abundanti, frigidoq; humore partes irrigat. * Atque huiuſmodi eſt quædam aquæ intercutis ſpecies,] maximè ea quæ tum leucophlegmatia, tum anaſarca nominatur. Deniq; frigidum vbiq; debilius eſt, & torpidũ, ſiue ſiccitas, ſiue humiditas frigori iungatur. Haud aliter inter naturales potentias, retentrix robuſtior quidem videtur, in aridioribus calidioribuſq; inſtrumentis, imbecillior verò in humidioribus frigidioribuſq;, ſiue ſtatim à generatione ita fuerint affecta, ſiue ſuccedente tempore huiuſmodi affectiones acquiſiuerint. Porrò

pauca. * οὐκ ἐξελέγχουσι. i. non manifeſtè produnt. Linac. Vertit non detegunt. † ξηρὸν eſt in Aldi. i. ſiccũ. Sed in manuſcriptis legitur σκληρότερον id eſt durius. * In græc. eſt τοιοῦτον δέ τι καὶ τῶν ὑδέρων ἐστὶ γένος, id eſt Atque huiuſmodi quidpiam eſt, & hydropũ genus.

animaduertere in singulis partibus oportet quantum recedāt à modo: vt exempli gratia, nerui, tendones, musculi, syndesmi, id est ligamenta, quāto ficciores tanto robustiores esse necesse est. Nisi adeò modū excesserint, vt vix flecti posint ob duritiem, & veluti friabiles videantur ob siccitatem. Atqui vbi sic affecti sunt, cōuulsione corripiuntur. Contrà naturalia instrumēta, quo sunt humidiora, eo sunt ad nutricationem magis idonea, etiam si ad extremam humiditatem ipsorū temperamentum perueniat: ad concoctionē verò non sunt aptiora, neq; seipsis, neq; aridioribus, quibus similis fuerit calor: nisi siccū aliquādo cibum exhibeas instrumēto sicco & squalido, non liberaliter ei miscens humiditatem. Cæterum & ad digestionē per corpus, & ad excretiones, corpora admodum dura, sunt inepta, quòd haud facilè vel dilatantur, vel cōtrahuntur: quorū alterum attractionem, alterū excretionē promouet. Sed rem omnem in paucos scopos contrahentes, summatim perstringamus. Calor auctus, ad omnē alterationem efficacissimus est, nisi ad tantā vehementiam increscat, vt aliquandiu vim assequatur: nam tum primum redditur omnino inutilis. Frigiditas nulli functioni vtilis

est,

eſt. Siccitas ad robur & firmitudinem cõfert, niſi adeò fuerit aucta, vt corpora rigida, immobilia, ac friabilia efficiat. Humiditas ad nutricationem quidem mirificè facit, cæteris verò functionibus omnibus aduerſatur, ea excepta, qua corpus augmẽtũ recipit: huic enim efficacius quàm nutricationi auxiliatur: qui enim probè augmentum conſequi voluerit, vt extendatur facilè, & infletur opus eſt.

In omni fluxiõe admonet cõſiderãdã excrementorum quantitatem & qualitatem, atq; excretionis modum referẽdum, ad cauſas iam dictas, hoc eſt, ad facultatis expultricis aut partis robur aut imbecillitatẽ, ad humorũ copiam vel qualitatem & ad corporis habitum iuſto rariorem vel denſiorem, cerebri fluxionibus in exemplum propoſitis: deinde ſymptomatum vteri cauſas adfert, vt menſium, redundantium ſuppreſſorum aut deprauatorum, tãdẽ etiam adiecta cauſa priapiſmi & gonorrhææ.

CAP. IIII.

SEd non abre fortaſſe fuerit hoc loco finẽ huic operi imponere. Neq; enim (vt iam antea dictum eſt) omnia particulatim perſequi, ſed ad ſtudioſorum exercitationem, multis exemplis, ad cõplures ſymptomatũ, tum ſpecies, tum genera,

ſer

ſermonem inducere propoſuimus: verùm quia non ad tantam creuit liber magnitudinem, quin plura capere poſsit, dicamus ea quoq; quę hactenus fuerunt omiſſa. Siue è naribus, ſiue auribus, ſiue palato, ſiue oculis, ſiue faucibus, ſiue vtero, aut ex reliquarum partium quacunq; aliquid profluit, eius tum quantitatem, tum qualitatem conſiderare, atq; excretionis modum in cauſas iam dictas reducere oportet. Sic enim inueniuntur ſymptomata, quæ à ſimilarium intemperie ortum habent, itidẽ inſtrumentorum morbi: inſuper qualis, quantaq́; fuerit materia. Veluti (exempli cauſa) tum deſtillationis, tum grauedinis (hæc coryza, illa catarrhus, Græcis nominatur) cerebrum ſtatim cauſa eſt, vt pars quidem ſimilaris, vel à frigore, vel à ſolis ardore, ad intemperiem reductum: vt inſtrumentum verò, quatenus à plenitudine infeſtatur. Igitur quemadmodũ profluuiũ in ventre per cruditatem fieri ſolet, ita dictorum affectuum vterq; in cerebro. Nominamus autem deſtillationem, vbi ad os excrementum defluxerit: grauedinem verò ſi nares infeſtet. Raucitas (Græci branchum vocant) ob deſtillationem imbutis faucibus fieri ſolet. Si ad gurgulionẽ fluxio deriuetur, aut vuã (vt vocãt) parit, aut
alias

aliàs in túmorẽ ipſum attollit. Si in adenas, quæ in fine oris vtrinq; ſibi inuicẽ apponũtur, antiadas facit. Si in partes illis adiacẽtes, pariſthmia. Atq; deferĩ fluxio à capite, nonnunquam in ventrem, nonnũquam in aſperã arteriam, vtrilibet mirificè nocens. Verùm de huiuſmodi fluxionum noxis, maiores noſtri accuratius ſcripſerũt, & nos in medẽdi methodo de ipſis amplius dicemus. Porrò de his, qui vel è pulmone vel thorace expuũt, iam antea in libro de criſibus diximus. Cæterum neque menſiũ ſuppreſsionem, neq; prauas expulſiones, omniũ quæ ex vtero profluere ſolent, difficile fuerit inuenire, ſi ſimiles tibi ſcopos propoſueris. Etenim nonnunquã vteri ipſius corpus, ſi ſolidũ fuerit, aut durum, cauſa eſt cur menſes ſupprimãtur: talis autẽ à natura factus eſt aliquãdo, adeò vt nil vnquã expurgare queat, niſi vel medicamentorum, vel temporis beneficio, ad meliorem transferatur conſtitutionẽ: Aut tractu tẽporis poſt generationem, idque pro illius affectus ratiõe, quo crebrius vterum infeſtari contigerit. Atq; vitioſa etiã venarũ anguſtia protinus ab initio in vtero contrahitur: fœmina hunc in modum malè formata. Cui proportione reſpõdet ea, quam adiacentia corpora faciũt in va-

ſis compreſsis cùm immodicè corpus craſſius euaſerit. Intemperies autem vteri & à natura oritur, & affectus quoſdam comitatur, quẽadmodũ & denſitas. At detinentur etiam nonnũquam mẽſes ob materiã ipſam, quũ vel craſſum fuerit quod vacuatur, vel viſcoſum. Supprimũtur etiam nonnũquam, licet id quod euacuatur optimũ ſit, obſtructis ob huiuſmodi humores vaſis, quæ ad vterũ deſcendunt. Prętereà vniuerſi corporis occaſione, mulier interdum nihil expurgat, interdũ plus iuſto, interdũ minus, nõnunquam etiam deprauatũ. Nihil omnino excernit, ob multas exercitationes, & victum tenuem, & quũ ad alias partes repũt humores. Minus excernit, eaſdem ob cauſas, ſed remiſsiores quàm pro naturali conſuetudine. Plus autẽ, ob diuturnum otium, & victum opiparum. Cęterùm deprauatæ per vterũ fluxiones (nominatur verò id ſymptoma, fluxus muliebris) fiunt expurgato per hanc partẽ vniuerſo corpore. Atque talem ſemper refert ſpeciem id quod excernitur, quale eſt id quod in animante redũdat: quippe rubrũ excrementum, ſanguinis ſaniem declarat, album pituitam, pallidum bilem amarã. Præter iam dicta, eſt aliud ex vtero deprauatum profluuium, ob affectum aliquem ipſ

ipſum infeſtantem eueniens. Inſuper mẽſes interdũ ſupprimuntur, nõ ob ſanguinis penuriam, quamvel multa exercitatio (vt dictum eſt) vel tenuis victus induxit, neq; ob affectum in vtero conſiſtentẽ, ſed propter robuſtas vires, ſanguine ad alias partes irruente. Verùm (vt nuper dicebã) haud difficile fuerit, quẽlibet (ni fallor) in his commentarijs verſatũ, & iam circa multa exercitatũ huiuſmodi per ſeipſum inuenire. Etenim neminẽ latet, quòd nõnũquã aut maior mẽſiũ copia fluit quàm anteà, aut minor, aut omnino nihil fluit, aut prauũ eſt quod effluit, ob ꝓprios vteri morbos, ſiue ipſius cornua, ſiue ceruix, ſiue totũ ſpatium afficiatur: atque ſub hac ſermonis diuiſione ἄτρητοι Græcis dictæ, quoq; cõprehẽdi poſſunt. Iam priapiſmus eſt, quũ maſculinũ pudendum intumeſcit & inflatꝰ inuito, habetq́; cauſam hoc ſymptoma ſpiritũ inflantẽ. Gonorrhœa autẽ (id eſt ſeminis profluuiũ) ſi pudendo nõ intento euenerit, retentricis facultatis in ſeminarijs vaſis imbecillitatẽ ſequitur. Si verò intento pudendo acciderit: conuulſioni quodammodo ſimilis erit affectus. Atque de his nõ oportet diutius diſſerere.

ἄτρητοι Græ. dicũtur fœminæ quibus vteri meatus coaluit.

Docet qua methodo ſint inueſtigãda ſympto mata ſeſe inuicẽ conſequentia, quorum me-

ratę quęlibet partes ꝓportione reſpõdẽt. Porrò à naturali figura deflectunt partes, immodicè vel repletæ, vel inanitæ, vel à propriis ſedib' remotæ, aut reuulſæ. Cauſæ verò ſingularũ affectionũ plures ſunt, quàm vt in præſentia debeant explicari, quanquã eas haud difficu ter inueniet is, qui nõ oſcitãter, ea quæ hactenus præſcripſimus, perlegerit. Neque nõ facilè deprehẽdet cauſas, ob quas corporũ alia grauiter olent, alia remolleſcunt, alia durãtur, alia aliter proportione illorũ afficiuntur. Verùm nõ opus eſt in iis diutius immorari: diximus enim de ipſis in vltima parte libri cui titulus eſt, de ſymptomatũ differẽtiis. Atq; libri de ſymptomatũ cauſis, hoc loco finis eſto, ſi vnum dũtaxat addiderimus, cuius demõſtrationẽ in libro de ſymptomatũ differentia, in hunc locum diſtulimus. Nempe quæ ſymptomata ſe inuicẽ neceſſariò ſequãtur, & quæ nõ neceſſariò, quãquam ne id quidem videtur mihi longo egere ſermone: quippe ſatis fuerit, vnico exemplo huius rei methodum oſtendere, multitudinẽ eorum quę particulatim dici poſſent abiiciendo. Itaq; animaduerte, vtrũ ab vna cauſa perficiatur effectus, añ à pluribus. Si ab vna, vt cauſam efficiẽtem ſequatur neceſſe eſt. Si à pluribus, nõ

tati superueniat. Quippe magna cruditas tum maiora, tú plura inducit symptomata: minor, verò, pauciora minoraq́;. Similiter & cruditatũ differentiæ, si frigidæ fuerint, & ad pituitæ naturã declinauerint, alia possunt inducere symptomata: si verò ad nidorẽ & calorẽ, alia: item si sint mordaces, aut non mordaces: præterea si vel resoluãtur in spiritum inflare potentem, vel non resoluantur. Atque hominis natura (vt diximus) vel confert, vel reluctatur symptomatum generationi, vt exẽpli caũsa, si obtuso sensu fuerit venter, neque rosione admodũ cruciabitur, neque dolebit, neq; multa deijciet excremẽta. Atque qui ita fuerint affecti, neq́; cordis dolorẽ, neq; capitis iniuriam facilè subeunt. Qui verò acuto sensu præditum ventriculũ habẽt, hi ad omnes iniurias subeundas sunt parati, principe parte è supernis mittẽte symptomata. Sed quid verbis opus est? quęcũque pars cruditatem fecerit, illa noxã sentiet, quæ fuerit maximè imbecilla: proinde nullũ symptoma necessariò sequi cruditatem, dici potest. Vbi verò alimentum per corpus nõ digeritur, siue priuatio, siue imbecillitas fuerit actiõis, atrophiam necessariò indũcet: quemadmodum in singulis partibus alteratricis potentiæ noxa.

Præterea expultricis facultatis circa excrementa, aut ſanguificæ potentiæ aberratio (nam & ipſa expultricis functionis ſymptoma eſt) neceſſariò praui coloris inducit ſymptomata, vocaturq́; alterum ipſorũ ἴκτερος, id eſt morbus regius, alterũ, quòd melancholico excremento conſtat, nomine caret. Ad hunc modum in omni ſymptomatum genere inuenies, quæ ſemper & quæ nõ ſemper ſe inuicem ſequuntur. Sed ne prolixor ſim, huius operis finis hîc eſto.

FINIS.

*



INDEX EORVM QVAE IN HISCE SEX GALENI LIBRIS,

de morborum ac symptomatum differentijs & causis, notatu quammaximè digna cōtinentur.

*

Aſcle

Caro

Fe

Me

Nu

Sym

FINIS.